

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Locus III. De Ministerio Ecclesiastico.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)

LOCUS III.

De

MINISTERIO ECCLESIA-
STICO.

§. I.

Primum (a) & maximum opus in Ecclesia est tractatio inter status
verbi, quod Dominus Petro Joh. XXI. 16. si ter im-
posuit, & contentiosissime ab omnibus exegit, quo
nunc nihil postremius & abjectius est. Tot sunt of-
ficia Juristarum, judicum, officialium, tot cantus & ceremoniæ
Sacerdotum & religiosorum; at vox clamantis in deserto rara
est; adeo ut vere nihil Ecclesiæ dissimilius sit, quam ipsamet Ec-
clesia. Unde ad Pl. VIII. 4. *videbo cælos* &c. scribit, (b) *duas sum-*
me contrarias formas in verbi ministris depingi, quarum alte-
ra sit, qua hominibus apparent tanquam infantes & lactentes,
i. e. impotentes, stulti &c. 1. Cor. IV. 9. seqq. altera, quales *in*
oculis Dei sunt, 2. Cor. XII. 11. 12. XIII. 3. ubi declarat Aposto-
lus, quam magna sit forma in oculis Dei ministerium verbi,
cum, sicut cæli, pluat doctrinam salutarem, tonet minis, co-
ruscet miraculis & signis, illuminet promissis &c. Clarissime
vero in Catechismo. majori docet (c) *Patres spirituales* præcepto
IV. inprimis honorandos esse, non illos quidem, qui hactenus
in *Papatu* hoc nominis falso sibi arrogarint, neque tamen ullum
Patris officium executi sint; sed qui verbo Dei pascant, regant,
doceant, ac fideliter præsent gregi, ut Paulus se Patrem jactet 1.
Cor. IV. 15. & *his*, inquit, *honor præ omnibus aliis deferendus*. -
Valde necessarium est, ut hæc quoque summa diligentia vulgo

LII II

incul-

inculcentur, eos, qui Christiani esse contendunt, coram Deo debere pro officio, ut duplici honore illos afficiant 1. Tim. V. 17. qui eorum animarum curam gerunt, ut eosdem vicissim alant ac foveant.

(a) Tom. I. 1. Jen. Lat. fol. 456. a. ad Gal. VI. (b) Tom. II. 1. Jen. Lat. fol. 99. a, b. (c) Catech. major. pag. 443 seq.

§. II.

De contem-
tu ministerii
Evangelici
querela &
vaticinia
Lutheri.

Post reformationem contemni statim coepit reverendum Evangelii ministerium, ab iis, qui à jugo Pontificio liberati fuerant. De quo contemptu Noster gravissime passim conqueritur & male ominatur. Ex Sermonibus in Matth. VII. 6. habitis nonnulla huc referam. (d) *Nostri dicere nos oportet, si participes Evangelii esse velint, ne adeo nos contemnant, sed fructus suos ostendant, quod serio rem agant, & verbum atque Sacramenta saltem honorent. Sed, inquiunt, hac ratione parare rursus ministros viam ad dominatum & sedem Papalem, quod ferri non debeat; satius enim fuisse sub Papatu permanere. Respondet autem: imo sane ipse metuo sic futurum; sed hæc oppressio vel contemptus non erit via, cohibendi tyrannidem Papalem, verum initium ejus. Cum enim eos removerint, quos jam habent, non tamen sine pastoribus esse possunt; Christus enim regnum suum in mundo servabit, ut Evangelium & Sacramenta maneant, & licet nullus Princeps ea defendere vult, ipse tamen tuebitur, quia Pater illum ad dextram suam evexit, & Dominum esse vult. Tametsi igitur omnes expellant Pastores, tamen Christum è throno suo non deturbabunt. Itaque sic eis eveniet, quia probos verosque ministros ferre nolunt, alios eis dabit Deus, qui majorem in eos tyrannidem exercebunt, quam antea factum est. Veram igitur viam, scilicet, ingrediuntur nostri avari (Scharrhansen) & alii, qui conspirant in id, ut nos opprimant & sibi subjiciant; ignorant autem alium sedere supra, & regnare, sic eos alloquentem: si veros pastores non vultis habere, habeatis*

tis

tis diabolus cum suis ministris, mendacia vobis prædicantibus, quæ accipere vos oportet, & pati insuper, ut dominantur vobis & omnia mala inferant: sicut jam Germaniæ nostræ usu venit. Hæc autem vera esset ratio præveniendi, si Evangelium serio susciperetur ac Deus fideliter rogaretur, ut veros & fideles operarios in suam emitteret messem. Ita nullus ejusmodi sollicitudini locus esset. Tales enim præcones nos nequaquam oppriment, nec damna inferent sive corporibus sive animis, sed omnibus opitulabuntur & bona quævis tribuent: quales nos experti sunt Nostrates &c. Quoniam autem nos nauscant, Deus dabit, ut post nos veniant, qui aliter cum iis agant, eos deglubant & excrucient, ut experiantur, quos amiserint & pro iis acceperint carnifices. Neque enim melioribus digni sunt, quam ut tales tyrannos habeant, quos formident, sicut Papam formidarunt. Principes nostri remulenti id jam didicerunt & mente foveant. - Verum apud Christianos secus esse debet: qui pii & orthodoxi sunt, pastores & ministros verbi omni honore dignos reputent, amore & humilitate eos prosequantur, propter Christum & verbum ejus, eosque magni æstiment, tanquam munus pretiosum à Deo donatum, omnibus thesauris & bonis longe præferendum. Pii quoque Pastores nihil aliud quærent, quam omnium hominum commoda & salutem, in spiritualibus & corporalibus. Qui vero tales contemnit, hoc sciat, quod non sit Christianus, & thesaurum rursus amiserit. Nam, (e) ut Noster in Epistola ad præfectum quendam severe scripsit, pastorem sine causa contemnere & odire, est Christum ipsum, omnium pastorum episcopum, contemnere, & perniciem sibi accelerare. Plus enim licet in pio fidelique pastore, quam in omni Magistratu in toto mundo; hujus enim officium non ita servit ad regnum cælorum, quam pastorale munus.

(d) *Tom. I. Alt. pag. 905.* (e) *Tom. VIII. Alt. p. 275. b.*

§. III.

*Sacerdotii
nomen mi-
nus recte pro
Ministerio
adhiberi.*

Recte vero hoc in Ecclesia officium appellatur *Ministerium*, non *Sacerdotium*, ut Papistæ faciunt, nedum *Magisterium*, aut *Pontificatus*; in Novo enim Testam. nullus amplius Sacerdotio locus est, quam spirituali, quod omnibus Christianis commune est, de quo Parte I. Loc. XVI. §. XL. & XLI. prolixè egimus. Quod autem alicubi adhuc, (inprimis in Saxonia) Pastores Evangelici *Sacerdotes* vocantur, id vel ex gentilium ritu, vel ex Judaica gentis reliquiis sumtum est, deinde maximo Ecclesiæ incommodo probatum. Cæterum juxta Evangelicas literas *Ministri*, *Diaconi*, *Episcopi*, *Dispensatores* rectius nominarentur, qui & ob ætatem *Presbyteri* sæpius vocantur. Sic enim Paulus I. Cor. IV. 1. dicit: *sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Non ait, ut sacerdotes Christi, quod nomen Sacerdotis & officium sciret omnibus esse commune. Inde celebris illa vox Pauli, *dispensatio seu Oeconomia, ministerium, minister, servus, servio in Evangelio* &c. Ut ubique non statum, ordinem, jus seu dignitatem quandam (ut nostri volunt) erigeret, sed officium & opus tantum commendaret, jure & dignitate sacerdotii in communi relictis. Quod si *ministri* tantum sunt, jam perit ille *character indelebilis*, & æternitas illa sacerdotii nulla nisi ficta est, sed deponi minister potest, si fidelis esse desinat: rursus ferri in ministerio, donec vel meruerit, vel universitati Ecclesiæ placuerit, sicut quivis alius civilium rerum inter fratres æquales, administrator: imo hic *minister spiritualis* multo est mobilior, quam ullus civilis, quanto intolerabilior est, si infidelis fuerit, quam civilis, qui rebus tantum hujus vitæ nocere potest, hic vero æternarum rerum vastator est. Ideo reliquorum fratrum est, illum excommunicare & alium substituere.

*perit E. cha-
racter inde-
lebilis.*

Tom. II. Jen. Lat. fol. 585. a.

§. IV.

§. IV.

Quamquam igitur communia sint (f) omnibus Christianis *Solum offi-*
officia sacerdotii spiritualis; nulli tamen licet in medium prodire cium disci-
autoritate propria, & sibi arripere soli, quod omnium est. Arripe men facit
 sane id juris & exequere, ubi nullus est, qui simile jus habeat. *inter Chri-*
 Verum hæc communio juris cogit, ut unus, aut quotquot placue- *stianos &*
rint communitati, eligantur vel acceptentur, qui vice & nomine *pastores.*
 omnium, qui idem jus habent, exequatur officia ista publice;
 ne turpis sit confusio in populo Dei, & Babylon quædam fiat in
 Ecclesia, sed *omnia secundum ordinem fiant*, ut Apostolus do-
 cuit. Aliud enim est, *jus publice exequi, aliud jure* in necessita-
 te *uti*; publice exequi non licet, nisi consensu universitatis seu
 Ecclesiæ: in necessitate utatur, quicumque voluerit. Officium
 igitur gerere in Christianitate alia res est quam Sacerdotium
 spirituale. (g) Pastores & præcones verbi, curatoresque anima-
 rum non sunt Sacerdotes propter vocationem & officium, quod
 habent, jam enim ante tales sunt, inde à Baptismo suo, & in
 Scriptura vocantur ministri, episcopi, inspectores, aut presby-
 teri, sive seniores, quia ad sacrum ejusmodi munus electi sunt
 non nisi provectæ ætatis, docti exercitatieque viri. Hi solum ex
 grege Christianorum officii intuitu eliguntur & distinguuntur;
 non secus ac in regimine seculari quidam è tota civitate eligun-
 tur, ut aliis præsent. Ibi nemo propterea fit civis, quia consul
 vel judex creatus est, sed quia jam ante jure civitatis gaudebat,
 & membrum societatis erat, privilegium illud secum adfert ad
 consulatum. Sicque in aliis omnibus statibus & muneribus se
 habet: officium non confert jus quod quisque habet, sed illud
 jam ante adesse oportet ex nativitate, & idoneum eum redde-
 re ad capeflendum officium. Hoc autem officium nihil aliud est,
 quam publicum ministerium alicui demandatum à toto grege,
 qui ex Sacerdotibus constat.

(f) Tom. II. Gen. Lat. fol. 584. b. (g) Tom. VII. Alt. p. 373. b.

LII II 3

§. V.

§. V.

*Vocationis
necessitas.*

Ad hoc igitur publicum in Ecclesia munus requiritur legitima vocatio. *Nemo enim in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare debet, nisi rite vocatus,* ut est in August. Confess. Art. XIV. Vocatio autem multas ob causas non tantum utilis sed & necessaria est. Nam 1. Deus non vult non vocatos & à se non missos prædicare (h) Jer. XXIII. 21. *currebant & non mittebam eos.* Hæc duo tibi dicta puta, qui prædicare vis, & probe observa; te & populum, quem docere debes, concernunt, nimirum, ut & officium & verbum divino mandato comprehendantur & nitantur. Ita quoque Petrus I. Epist. IV. II. ista duo innuit: *si quis loquitur, quasi (vel vere) sermones Dei loquatur: si quis ministrat, tanquam ex virtute, quam administrat Deus;* ut & verbum & officium divinum sit, & à Deo mandatum. Hoc ipse Christus suo quoque exemplo docuit Joh. VII. 16. Bonus ergo & verus pastor est, (i) qui ista duo habet, 1. *officium*, de quo certus esse debet, quod vocatus & missus sit, & quicquid agit, propter officium agat. 2. Certus esse debet, quod *verbum Dei doceat* & prædicet, non hominum aut dæmoniorum doctrinam. - *Neutrum sine altero esse debet.* Tametsi enim aliquis vocationem & officium habeat, ut Papa & Episcopi, qui sunt Ecclesiastici, sedent in officio, sicut ego & alius quisque pastor; hoc tamen non sufficit, sed oportet eos verbum Dei etiam certo habere. Vicissim, licet aliquis verbum Dei pro se habeat, satis doctus & in Scripturis versatus sit, tacere tamen nec involare in officium aut prædicare debet, nisi vocatus sit. Moses satis doctus erat & eruditione mortales superabat, nec tamen statim prædicabat, ut poterat, sed Dominus vel sexies eum ire jubebat, & nihilominus ille se excusabat & resistebat, donec cogeretur suscipere munus. Ita quoque Paterfamilias Matth. XXV. vocabat servos eisque talenta credebatur, ut iis negotiarentur, servi pecuniam non rapiebant ex manu Domini, sed vocationem exspe-

*Verbum &
officium di-
vinum con-
iuncta esse
debent.*

exspe-

expectabant. Non possum hic (k) (etsi leviculum est) transire multorum, præsertim religiosorum & sacerdotum, fatuam querelam, satis tamen acrem tentationem, qua queruntur, sese talentum Domini habere, ideoque necessitate Evangelici præcepti sese urgeri ad docendum, itaque nisi doceant, stultissima conscientia credunt, sese pecuniam Domini sui abscondere, & reos esse damnationis. Diabolus hæc facit, ut instabiles eos reddat, invocatione sua, qua vocati sunt. O bone frater, quo verbo Christus te liberat ab hac querela. Vide Evangelium quod dicit sic vocatis servus, tradidit illis bona sua. Vocatis inquit. Quis autem te vocavit? Expecta vocantem, interim esto securus. Imo, si esses sapientior ipso Salomone & Daniele, tamen, nisi voceris, plusquam infernum fuge, ne verbum effundas. Si tui eguerit, vocabit te. Si non vocabit, non te rumpet scientia tua. Denique neque est vera, sed videtur tibi scientia, & stultissime fingis tibi fructum, quem possis facere. Nemo fructificat verbo, nisi qui sine suo voto vocatur ad docendum. Unus est enim Magister noster Jesus Christus. Hic solus docet & fructum facit, per vocatos servos suos. Qui autem non vocatus docet, non sine damno, & suo, & auditorum docet, quod Christus non sit cum eo.

(h) Tom. III. Alt. pag. 371. a, b. (i) Tom. V. Alt. pag. 715. seq. (k) Tom. I. Gen. Lat. fol. 393. b.

§. VI.

Isse locus communis (de certitudine vocationis) ad hoc *Certitudo* valet, ut unusquisque minister verbi certus sit de sua vocatio- *vocationis* ne, ut coram Deo & hominibus gloriari possit cum fiducia, se *necessaria* prædicare Evangelium, ut is, qui vocatus & missus sit. Quemadmodum Legatus Regis in hoc gloriatur & superbit, quod non ut privata persona venit, sed ut Legatus Regis: & propter hanc dignitatem, quod est Legatus Regis, defertur ei honor, ut præcedat & superiorem locum obtineat, quod ei non contin-
geret,

geret, si ut privata persona adesset. Quare certus sit prædicator Evangelii, se habere vocationem divinam. Et expedit, ut hanc suam vocationem, exemplo Pauli, magnificet & glorificet *coram populo, ut apud auditores sibi auctoritatem vendicat*; quemadmodum Legatus regius glorificat suam legationem. Quod non est vane gloriari, sed necessaria gloriatio; quia non de se, sed de Rege, qui eum misit, gloriatur, cujus auctoritatem cupit esse colendam ac sacrosanctam, & cum aliquid nomine Regis vult fieri à subditis, non dicit: nos rogamus, sed nos mandamus, nos volumus hoc fieri &c. Pro privata autem persona dicit: *rogamus &c.* Sic etiam, quando Paulus magnifice extollit suam vocationem, non arroganter extollit sese, ut plerique putant, sed necessaria ac sancta superbia glorificat suum ministerium. Ut ad Rom. XI. II. *Quam diu sum gentium Apostolus*, inquit, *ministerium meum glorificabo*; hoc est, volo ut recipiant me homines, non ut Paulum Tharsensem, sed ut Paulum Legatum seu Apostolum Jesu Christi. Hocque necessario facit, ad conciliandam sibi auctoritatem, ut auditores hoc audientes, attenti, benevoli ac dociles reddantur. -

*periculum
non vocati,
& solatium
rite vocati*

Nostra igitur consolatio, qui sumus in ministerio verbi, hæc est, quod habeamus *officium sanctum & cæleste*, ad quod rite vocati, gloriamur contra omnes portas inferni. Econtra horrendum est, cum conscientia dicit: hoc sine vocatione fecisti: ibi tantus terror concutere animum solet, ut non vocatus optaret se nunquam audisse verbum, quod docet; quia in obedientia facit omnia opera mala, quantumvis bona, ita ut etiam maxima opera & labores, fiant maxima peccata. Vides itaque, quam bona & quam necessaria sit hæc jactantia & gloriatio ministerii nostri. Olim cum essem novus Theologus & Doctor, videbatur mihi & Paulus ineptire, quod in omnibus Epistolis toties gloriaretur de sua vocatione, non intelligebam ipsius consilium; ignorabam enim tantam rem esse ministerium verbi:

verbi: nihil sciebam de doctrina fidei & conscientia vera, quia nihil certi docebatur, neque in scholis, neque in templis, sed omnia plena erant Sophisticis perplexitatibus, & nugis Canonistarum & Sententiariorum: ideo nemo potuit intelligere dignitatem & vim istius sanctæ spiritualis jactantiæ de vocatione.

Quæ (1) primum valet ad gloriam Dei. Deinde (2) ad honorem ^{summa utilitatis de} ministerii nostri, item (3) ad nostram & populi salutem. Non ^{vocationis} enim ambimus per istam jactantiam aliquid esse in mundo, non ^{certitud.} quarimus gloriam apud homines, non pecuniam, non voluptates, non favorem mundi &c. sed quia sumus in vocatione divina & opere Dei, & populus maxime opus habet certitudine nostræ vocationis, ut sciat nostrum verbum esse Dei verbum, ideo superbe eam jactamus. Quare non est vana sed sanctissima superbia contra diabolum & mundum, & vera humilitas coram Deo.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 8. a. & 9. b. ad Gal. I. 1. Conf. ibid. fol. 449. a.

§. VII.

Quia vero varia sunt genera vocationis, quæ in primis pro- ^{Varia voca-} be sunt discernenda, & tamen omnis legitima vocatio divina ef- ^{torum ge-} se debet, ea ex Paulo discenda sunt Gal. I. 1. Quatuor genera ^{nera}

Hieronymus ex hoc loco colligit. *Primum*, quod neque ab ho- 1.
minibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem, ut Prophetæ olim & omnes Apostoli. *Alterum*, quod 2.
à Deo quidem, sed per hominem, ut discipuli Apostolorum, & qui in finem mundi legitime succedunt Apostolis, ut Episcopi, & Sacerdotes. Et hoc genus sine primo non potest consister- 3.
e, à quo habet exordium. *Tertium*, quod ab homine seu hominibus, non à Deo, ut cum favore & studio hominum aliquis ordinatur, ut nunc videmus, plurimos, non Dei judicio, sed redempto vulgi favore, in Sacerdotium subrogari. *Quartum* 4.
genus, quod neque à Deo, neque ab hominibus, neque per hominem, sed à semetipso, ut Pseudoprophetæ, & Pseudoapostoli,

M m m m m

de

de quibus Paulus: *istiusmodi Pseudoapostoli, operarii iniquitatis, transfigurantes se in Apostolos Christi.* Et Dominus Joh. X. 8. *quotquot venerunt, fures fuerunt & latrones.* Jerem. XXIII. 21. *non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Ab hoc malo summe cavendum est. Nam hinc Christus nec dæmonia sinebat loqui, etsi verum dicebant, ne prætextu veritatis mendacium mortis inspergeretur: quando non potest loqui, qui ex seipso loquitur, nisi mendacium, ut Christus ait, Joh. VIII. 44. Unde ne Apostoli ex seipsis loquerentur, dedit eis spiritum suum, de quo dicit: *non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis,* Matth. X. 20. Et rursus: *Ego dabo vobis os & sapientiam &c.* Luc. XXI. 15.

Tom. I. Gen. Lat. fol. 393. a, b.

§. VIII.

Vocatio divina duplex, immediata & mediata, hæc hodie obtinet.

contra fanaticos.

adstricta ad locum.

Est itaque divina vocatio *duplex*, altera *mediata*, altera *immediata*. Deus vocat nos hodie omnes ad ministerium verbi, vocatione mediata, hoc est, vocatione, quæ fit per medium, id est per hominem. Apostoli vero immediate vocati sunt, ac ab ipso Christo, sicut Prophetæ in veteri Testamento ab ipso Deo. Apostoli postea vocaverunt suos discipulos, ut Paulus Timotheum, Titum &c. qui deinde Episcopos, ut Tit. I. Episcopi suos successores vocaverunt. Ea vocatio duravit usque ad nostra tempora, & durabit usque ad finem mundi, estque *mediata*, quia per hominem fit, & tamen divina est. Sic quando Princeps aut Magistratus, vel ego aliquem vocamus, is vocationem habet per hominem. Et hæc est *generalis* post Apostolos vocatio in orbe terrarum: neque est mutanda, sed magnificianda, propter *fanaticos* homines, qui eam contemnunt, & jactant aliam meliorem, qua à spiritu se impelli dicunt ad docendum. Sed mentiuntur impostores, impelluntur quidem à spiritu non bono, sed maligno. Mihi non licet ire extra hanc sortem meam, in aliam civitatem, ubi non sum vocatus verbi minister, & ibi prædi-

prædicare, quatenus sum prædicator (quatenus sum doctor, possem in toto *Papatu* prædicare, modo me tolerarent) etiam si audiam falsa doceri, seduci & damnari animas, & ego eas eripere possem ex errore & damnatione, mea sana doctrina; sed rem Deo committere debeo, qui suo tempore inveniet occasionem legitime vocandi ministros, & dandi verbum. Ipse enim est Dominus messis, qui & operarios in messem suam mittet, nostrum est orare, Matth. IX. Quare non est irruendum in alienam messem, ut diabolus incitate solet suos ministros, ut non vocati currant & prætexant zelum hunc ardentissimum, dolere sibi, quod homines tam misere seducantur, se veritatem velle docere, & seductos è diaboli laqueis eripere. Imo si aliquis etiam pio zelo & bona intentione, velit sana doctrina liberare seductos ex errore, tamen exemplum malum oritur, per quod datur occasio impiis doctoribus intrudendi sese, per quos Satan postea occupat cathedram, & maxime nocet. Cum autem Principes seu alius Magistratus me vocat, tum certo & cum fiducia gloriari possum, contra diabolum, & hostes Evangelii, quod mandante Deo, per vocem hominis, vocatus sim. Est enim ibi mandatum Dei, per os Principis, quod me certum reddit vocationem meam esse veram & divinam. Sumus igitur & nos divina autoritate vocati, non quidem à Christo ut Apostoli, sed per hominem.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 8. b. 9. a.

§. IX.

Cum igitur vocaris (1) ad ministerium docendi, Reipublicæ vocem existimabis Dei vocem esse, & parebis: non facies sicut insulsus ille Monachus, quem tamen historia tripartita ut sanctum virum laudat, qui vocatus ad Episcopi officium, præcidit sibi aurem, ac minatus quoque est, se etiam linguam sibi præcisurum potius, quam ut Episcopi munus suscipiat. Homo non solum insanus, sed impius quoque, cum ita juberetur, Deo

M m m m m 2

gratificandum,

gratissimum, & hominibus summe necessarium & utilissimum officium negavit. Cur non potius accepit ministerium, & cum Paulo dixit 1. Cor. IX. 16. *va mihi, si non evangelizavero?* Adeo mature in Ecclesiam superstitio invecita est. Meminerimus igitur hujus brevis sententiae: *abiit Abraham, sicut ad eum locutus est Dominus*, & scribamus eam super omnia negotia nostra, quæ gerimus. - Tunc fiet, ut, etiamsi moriendum sit, tamen nos ipsos consolemur, quod in Dei obedientia steterimus. - Igitur præcipua nobis verbi seu vocationis cura sit; hæc enim sola facit veram obedientiam & Deo gratum cultum, quem si præstamus, non solum tueri testimonio conscientiae nostræ nos possumus; sed etiam expectare à Deo opem, cujus vocem etiam in certis periculis sequimur. Operam (m) vero divinam consequemur, si eam expetierimus. Sic ergo oret gubernator Ecclesiasticus: Domine Deus, tu constituisti me in Ecclesia Episcopum, Pastorem, vides, quam sim ad tantum & tam difficile munus obeundum ineptus, & si absque tuo auxilio fuisset, jamdudum everissem omnia. Ideo te invoco. Ego quidem os & cor applicare volo, docebo populum, discam ipse, & meditabor diligenter in verbo tuo. Tu me instrumento tuo utere: tantum ne derelinquas me; si enim solus fuero, facile perdidero omnia.

*Et precibus
nitendum.*

(l) ad Genes. 12. p. 66. 67. (m) in Genes. 27. Tom. III. p. 317. seq.

§. X.

*Q. an seipsum
liceat offer-
re?*

Hic nunc quæritur: (n) *an seipsum offerre ad vocationem sit licitum?* Respondetur: si fiat carnali sensu, id est, ambitione vel avaritia, prorsus non valet (licet sic intret, & postea convertatur in alium virum, prosit ei in ea manere.) Nam avaritia & ambitio etiam Apostoli Judæ vitiabant summam & divinam vocationem, sicut & omnium sacerdotum Caiphæ & similium. Si fiat studio serviendi Deo, vel in statu salutis vivendi, sic est bonum opus, teste Paulo, *si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, 1. Tim. III. 1. Sic in Deuterio. Moses præcipit recipi

cipi

cipi eum Levitam, qui ex aliqua regione veniat ad locum domus Dei, ad serviendum Domino. Præter has potest necessitas incidere, ut si sint baptisandi, docendi, consolandi, exhortandi fratres, in medio hostium positi. Hic debet quilibet se ipsum intrudere, tanquam necessitate fraternæ charitatis vocatus, & omnia facere, quæ necessaria sunt pro salute animarum. Est enim (o) *vocatio mediata* duplex, vel quæ fit à superiore, & ea *vocatio fidei* est *vocatio fidei*, vel ubi quis ab Ecclesia & æqualibus in con- *et charita-* cionatorem eligitur, quæ est *vocatio charitatis*. Utraque vo- *tis* catio necessaria est ad confirmationem conscientiarum. Utrum ergo vocatus sit ille, qui ambit officium pastorale, facile responderi potest. Primum hoc certum est, quod juvenes sint educandi, qui discant sacram Scripturam, & exercitiis Scholasticis usitatis, idonei fiant ad ministerium, qui cum postea se offerunt, si conditio aliquo vacat, eligendi sunt. Hoc non dicitur *ambire et* à seipso venire vel accurrere, cum est paratus suo fungi officio, *currere dis-* si vocetur. Sicut puella educatur ad matrimonium, si eam *ferunt* nubilem quis ambiat, consentit & favet. Mercenarii tum demum à seipso accurrunt ad ministerium, ac veram pietatem simulant, quando veros verbi ministros expellunt, & postmodum illorum officio dolo malo se ingerunt. Cum autem vacaverit ministerium, & quis idoneus se ultro obtulerit, qui ab Ecclesia eligitur, est vera vocatio. Sic Esa. VI. *mitte me, en adsum*. Ultro venit, dum opus esset Ecclesiæ ministro. Igitur his con- *conditiones* ditionibus debet fieri. I. An opus sit ministro? II. An placeat? *vocandorum.* III. An sit idoneus ministerio? Nam Christum prædicare est res ardua & periculosissima. Si ego olim scivissem hujus ministerii difficultatem, nunquam prædicassem; sed cum Mose dixissem: Domine, mitte quem missurus es. Ego ministerii difficultatem mihi non imponam.

(n) Tom. IV. *Jen. Lat.* fol. 310. b. (o) Coll. *Coniv. Tom. I. Jen. Lat.* p. 13. *Germ. edit. vet. Tit. 22. f. 178. b. Conf. Tom. II. Jen. Lat. fol. 97. b.*

Mmm mm 3

§. XI.

§. XI.

*Sine voca-
tione nil
agendum.*

*Pontificii
vocantem
Deum non
expectant*

*nec necessa-
ria est vo-
catio ipsis*

Ne quis ergo desideret, quæ sit ista vocatio Dei, id obser-
vet: *si quis præter, imo contra voluntatem suam*, per majorum
suorum, sive Ecclesiasticorum, sive secularium auctoritatem,
in officium verbi vocatur. Nam non est potestas nisi à Deo Rom.
XIII. 1. ideo quicquid potestas utraque mandat, non est dubium,
quin Deus mandet. Inde non legimus in Vet. Test. ullam histo-
riam feliciter gestam, nisi primum consulto Deo, & sive per An-
gelum, sive per hominem accepto responso; quam enim infe-
liciter pugnarint filii Israel citra Dei mandatum, legimus Num.
XIV. Idem in *Machabais* videmus. Non dubites, si te Dominus
volet, quæret te, & potius de cælo Angelum mitteret, qui ad-
ducat te. Atque hac causa fieri crediderim, cur hodie nec Pon-
tifices, nec Sacerdotes, nec religiosi doceant in Ecclesia verbum
Dei, quod nullus ferme amplius sit, qui vocantem Deum ex-
pectet, sed universi ambiant dignitates, præbendas, oria & sa-
turitatem ventris, ut jam, nec solos Monachos, sed & Pontifi-
ces & Sacerdotes, faciat desperatio (ut dicunt) & quædam ignavia
spiritus. Hanc itaque vocationem Dei non melius intelliges,
quam si observes historias Scripturæ, & omnium Sanctorum
in Ecclesia. Magna enim semper fecerunt, qui vocante Deo
docuerunt, ut S. Augustinus, Ambrosius, & ante eos Apostolus
Paulus. Atque ne iterum cuiquam scrupulum injiciam, de iis
loquor, qui ad docendum verbum Dei veniunt, horum in-
quam est, quam maxime observare, ut mittente Deo veniant.
Sicut Rom. X. 14. seq. dicit: *quomodo prædicabunt, nisi mittan-
tur? Sicut scriptum est, quam speciosi pedes evangelisantium*. Et
Malach. II. 7. *labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem re-
quirent ex ore ejus, qui Angelus Domini exercituum est*. De re-
liquis verò, qui vel ad Episcopatus, vel Canonicatus, & id ge-
nus alia sacerdotia veniunt, in quibus non est officium verbi,
non arbitror esse necessariam vocationem, quandoquidem in
his

his hodie vix aliud, quam privatum studium serviendi Deo quæritur, in quo juxta Paulum 1. Cor. VII. *unusquisque proprium donum habet, alius sic, alius vero sic.* Non tamen abjiciendi sunt, si qui pio studio animosi, verum famæ & vitæ contemptores, ambiunt docere verbum (quanquam hæc rara sit avis) imo sunt commendandi, ut Apostolus 1. Tim. III. 1. dicit: *fidelis sermo, si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Nam quare dixerit sermonem fidelem, & episcopatum bonum opus vocarit, sequitur *2. oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem, & reliqua.* Hæc (inquit) quia sunt Episcopi, si quis desiderat, certe bonum opus desiderat. Requirit enim id officii contemptorem gloriæ & vitæ & omnium rerum, quia veritatis ministerium est, quæ prædixit, dicens: *eritis odio omnibus hominibus, propter me.* Quod cum vix ferant, qui per vim attrahuntur inviti, frustra speratur laturus, qui sua sponte ambit, aut non singulari gratia intus movetur ut ambiat.

Tom. II. Gen. Lat. fol. 97. b.

§. XII.

Ante omnia cavenda est Simonia, quæ vocationem corrumpit. *Est autem Simonia emptio vel venditio rei spiritualis,* quando accipit quis pecuniam, & dat donum vel rem spiritua-
lem. Ut *Simon Magus* cum videret per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum S. offert eis pecuniam, Actor. VIII. 18. ff. Ab illo *Simone* crimen dicitur *Simonia*, quando quis exemplo Simonis putat pecunia dona Dei emenda esse aut vendenda. Hæc vera est definitio, quam *Canonistæ* mirabiliter postea crucifixerunt. Illam enim partem definitionis, donum Dei pro pecunia, applicant ad omne id, quod homines dant Deo. Ita nunc vocant *reditus Ecclesiasticos* bona spiritualia, quia sunt dona Dei, non quæ Deus dedit, sed quæ homines Deo obtulerunt. Nonne ingens hoc est cæcitas & amentia? Rapiunt autem huc textum

ex

ex Mose, Levit. XXVII. 9. *quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Talia volunt esse dona oblata Ecclesiæ, beneficia, clinodia, & alia, initio ad alendos ministros collata. Quod si quæritur, an liceat ea vendere vel emere? respondent quod non; quia sunt bona spiritualia. Atqui Petrus dona à Deo data intelligit *passive*, & non *active*. Est igitur fallacia compositionis & divisionis, ut Dialectici loquuntur, quando hæc confundunt, & miscent. Sed quomodo dextre de hac re docerent, cum dona Spiritus S. non curent, & submersi sint in Simonia & donis Deo datis, hoc est, iis quæ vulgo spiritualia bona appellantur? -- Si manet *Canonistarum* definitio vera, tum omnes Episcopi & Canonici Papistici sunt simpliciter *Simoniaci*, omnes damnati ad infernum & diabolum: non Evangelico jure, sed eorum jure Canonico semetipsos condemnant. -- Confundunt Canonistæ corporalia & spiritualia. Simonia non habet locum in bonis æconomicis, aut politicis, sed donis Spiritus S. -- Quod si minister aut pastor Ecclesiæ non vellet te docere de remissione peccatorum & beneficiis Evangelii, negaret tibi absolutionem, nisi centum aureis ab eo redimeres, illud Simoniacum esset. Atque hoc modo Papa est Simoniacus; offert enim omnibus gratiam & remissionem peccatorum à Deo, si numerent ipsi certam summam pecuniæ: illud est vendere rem spirituales, & gratiam Spiritus S. quanquam ipsa vendi non potest, si vel mille aureos aut amplius numeres pro una absolutione. 1. enim non habet ea Pontifex. 2. impossibile est vendere res spirituales: nisi quod potest fucus fieri imperitis & simulatio quædam venditionis. -- Itaque secundum res Simonia est impossibilis, sed secundum fucum usitatissima; quia prostituitur & venditur nomen Domini.

Enarrat. in Genes. 23. pag. 1219 -- 1226.

§. XIII.

Salarium

Sed hinc (p) nascitur quæstio, num liceat ministro verbi petere

tere aut accipere victum pro officio? Respondeo: licet omnino, *accipere non sicut pauper accipere potest donum aliquod. Si illam potestatem haberem, quod nemo posset absolvi à peccatis, nisi numerasset mihi aliquot aureos, una die omnes mundi opes corraderem. Sed hoc non licet, & l'apa Satanico ausu hunc quæstum instituit. Nobis mandatum est, ut doceamus, consolemur, absolvamur omnes, quicunque recipiunt & credunt, & illi omnes gratis à nobis accipiunt, juxta sententiam, gratis accepistis, gratis date, Matth. X. 8. Sed ut Christiani gratis ministerio verbi fruuntur, ita vicissim pro officio debent gratis alere & defendere ministros, præbere victum & amictum, Gal. VI. 6. communice-
cet autem is, qui catechisatur verbo, ei qui catechizat, in omnibus bonis. 1. Tim. V. 17. qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Et Christus ipse inquit: dignus est mercenarius mercede sua. Item Dominus apud Elaiam ait: Principes & Reges datu-
ros dona Ecclesia. Sed hæc dona non sunt pretia, emptiones aut venditiones. Necessarius est nobis victus quotidianus, cibus & potus, sed his non persolvitur absolutio. Quis enim posset solvere? Quid sunt centum, aut mille aurei, collati ad illud inæstimabile donum remissionis peccatorum. Quando igitur accipimus alimoniam ab Ecclesia, non est pretium æquivalens huic dono, quod tanti est, ut totius mundi opibus non possit persolvi; sed quia ingens & inæstimabile donum non potest administrari nisi per homines, qui indigent victu & amictu, ali eos & sustentari necesse est. Illud vero non est remunerare donum, sed operam & laborem. Nos merito (q) poscimus & sumimus ab auditoribus mercedem nostram, sicut inquit Christus: dignus est operarius mercede sua, hoc est, bona conscientia potest eam accipere. Item, Dominus ordinavit iis, qui Evangelium nunciant, de Evangelio vivere, 1. Cor. IX. 14. Item, qui bene præsunt, duplici honore digni sunt, 1. Tim. V. 17. Sane digni sunt. Sed ubi apud Deum:*

Nnn nn

apud

Resp. ad
Mich. III.
11.

apud mundum vero gladio, cruce, inferno, aut si quid est tris-
tius. Inerudite quidam (r) sententia Mich. III. 11. & sacerdotes
ejus propter mercedem vaticinantur, abutuntur contra pios Do-
ctores, quasi non sit licitum vivere ex stipendiis, quæ ministris
Ecclesiæ constituta sunt. Allegant Christi verbum: *gratis acce-
pistis, gratis date*, Matth. X. 8. Opponunt quoque S. Pauli exem-
plum, qui cum doceret Ecclesias, tamen Ecclesias non voluit
onerare, sed ipse manibus suis paravit victum. Hæc sive quere-
la, sive calumnia nascitur ex diabolico quodam odio ministerii
verbi. Quid enim aliud faciunt impii homines, qui talibus
sermonibus simplicium aures fatigant, quam ut non solum
personas ministrorum, sed ipsum ministerium in contemptum
adducant; cum potius omni cura in id incumbendum erat, ut
ministris propter verbi honorem sua dignitas restitueretur. Ve-
rum quidem est, quod Christus dicit, *gratis accepistis, gratis da-
te*; vult enim finem principalem ministerii esse, ut serviatur
gloriæ Dei, & hominum saluti. Nam propter hæc duo, mini-
sterium verbi præcipue institutum est in mundo; sed ex hoc non
sequitur, quod impium sit, ut Ecclesia alat ministros suos. Hoc
impium esset, si ministri finem ministerii negligere, & tantum
ad mercedem respicere, seu propter mercedem docendi mu-
nus non recte administrare vellent. Sicut igitur minister man-
dato Dei cogitur, ut & gloriæ Dei & saluti hominum serviat;
ita vicissim Ecclesiæ mandatum habent, ut ministros alant. Sic
enim dicit Christus, *mercenarius dignus est mercede sua*, Matth.
X. 10. Si dignus est, nemo igitur mercedem exprobrare Doctori
debet. Sicut S. Paulus hanc sententiam clarius explicat 1. Cor.
IX. 14. *Dominus, inquit, constituit seu ordinavit, ut qui Evange-
lium annunciant, etiam ex Evangelio vivant*. Allegat autem mi-
nisterium legis, *ψ. 13. qui, inquit, sacra faciunt, an non ex sacrificio
vivunt? Qui assident sacrario, an non cum sacrario participant?*
Utitur aliis similitudinibus ad hoc negotium aptissimis, *ψ. 7.*
Quis,

Quis, inquit, est, qui propriis stipendiis militet? An, qui vineam plantat, eam sic plantat, ut de fructibus ejus non comedat? Præcipue autem digna observatione est insignis illa collatio, qua etiam in Galatis utitur y. ii. seminamus vobis spiritualia, magnum vero est, quod nobis carnalia suppeditatis? Quod igitur ad exemplum Pauli attinet, ipse palam testatur, se hoc non facere, quasi iniquum sit ab Ecclesiis accipere victum, sed ut adjuvet hoc modo cursum verbi, & præcidat occasiones calumniandi, quas in re nova homines indigni poterant comminisci. Debet quidem sicut ab omnibus Christianis, ita maxime ministris verbi, omnis avaritiæ & cupiditatis suspicio abesse; non tamen ideo statuendum est, quod iniquum sit accipere ab Ecclesiis, quæ ad commodum victum sunt necessaria. Sicut quidam hisce prodigiosis opinionibus, propter speciem singularis sanctitatis, delectantur, quidam ex certa malevolentia & satanico odio ministerii, in calumniam rapiunt, quod ministris alibi, pro facultatibus Ecclesiarum, liberalia stipendia constituta sunt. -- Sed ad Micham redeo, is non damnat Sacerdotes & Prophetas, quod mercedem & argentum accipiant, debetur enim merces sua piis doctoribus: hoc autem damnat, quod ministerio ad quæstum abutebantur: quod propter lucrum connivebant ad peccata populi, quæ reprehendere debebant. Sicut Bileam conduci se patitur, ut maledicat, quibus Dominus ut benediceret mandarar. Ad hunc modum, inquit Propheta, debebat reprehendi impietas hujus populi, sed propter quæstum Pseudoprophetae etiam assentantur peccatoribus, & bona promittunt.

(p) ad Genes. 23. p. 1226. seq. (q) ad Gen. 39. p. 239. (r) Tom. IV. Jena Lat. fol. 557. b. 558. a, b.

§. XIV.

In Ecclesia Evangelica alicubi Ministri verbi pii cum uxori-
bus, & liberis esuriunt: aut si quid habent, (s) tanta est homi-
num invidia & malitia, ut quo jure, quaque injuria cupiant id eis
eripere, & sæpe etiam, cum possunt aliqua specie, ministros,

*Ministri
Ecclesie vi-
vunt ex spo-
lis mundi.*

Nnn nn 2

& re-

& redditus Ecclesiasticos in Parochiis expilant & rapiunt; ita ut vere hoc dici queat: quicquid habet Ecclesia, habet invito, & repugnante per vim, perque insidias & fraudem, impediente Satana & mundo. Est quasi spoliū, quod rapit Deus mundo, quia non sunt digni cives & rustici, ut habeant largas manus ad fovendum & alendum ministerium Ecclesiarum & Scholarum, sed quicquid bonorum conferunt quasi ereptum spoliū est divinitus ex faucibus luporum, & unguibus leonum. Videmus quam indigne & contumeliose tractantur Parochi à Magistratibus & Quæstoribus, quando queruntur de angustia & inopia rerum suarum, statim exprobrant eis avaritiam, *die Pfaffen sind geizig*. In aulis & civitatibus, si qui novas artes expilandi parochias & exagitandi sacerdotes excogitant, ob frugalitatem laudantur, & ad honores perveniunt, tantum eo, quia vituperare ministros Ecclesiæ & premere possunt. Si admonentur locupletiores, ut juvent studia discipulorum: hoc opus hic labor est, imo Periclea eloquentia opus erat, ut vel pauxillum emungas, quod tamen satis maligne præbetur, & cum stomacho & fastu magno. Recte igitur dixerimus nos vivere ex rapto, sive de spoliis, quibus Deus spoliat mundum invitum & repugnantem, quia non sunt digni, qui conferant aliquid subsidii ad alendam pauperulam & afflictam Ecclesiam. - Deus mirabiliter rapit ex manibus harpyarum, ut conserventur Ecclesiæ & Scholæ, nec ministri earum fame & inedia pereant. Labanitarum nec de suo nec de alieno quicquam largiuntur, quibus videntur indigni Parochi & ministri, qui unam saltem horam vivant, aut unam buccellam panis comedant. Nec dissimulant illi sua iudicia, sed aperte dicunt, subulco aut oplione, aut lictore, pagos & civitates non posse carere, Parocho & Ludimagistro nihil opus esse. Itaque duriter exercentur hoc tempore multi boni viri, ab Harpiis istis, sæpe enim non sine magno labore extorquent stipendia sua ab iis, qui præsumunt redditibus Ecclesiasticis:

cum

cum de eo etiam maligne præbeant, quod ipsi non contribuerunt. - Habemus hodie (t) nos quoque nostros Phicholitas aulicos, qui invidia & odio, contra Ecclesiarum ministros ardent, & omnes vias obstruunt, quibus nos crescere posse judicant. Hoc enim ipsorum verbum est, sufficere victum & amictum, *Kock und Knopff* / & propter multas causas cavendum, ne diteſcant miniſtri Eccleſiarum. Sed proſecto accidet, ut, quod timent, ipsis invitis accidat, volunt nunc comparcere micas in alendo misero Lazaro, cum prius effuderint in Epulones omnes suas opes, dederunt enim Episcopis arces & civitates, & nimis splendide ac laute habuerunt eos. Nunc cum isti alendi sint, qui vere & fideliter docent, vix micas alioqui perituras eis concedunt. Hæc est perversa mundi sapientia, quæ non solum sibi maledictionem accersit, sed etiam occasionem subministrat, ut sicut antea creverunt opes Pontificiorum, ita adhuc hodie fiat. Papatus enim crevit cum duæ illæ causæ concurrerent, prima, quod ii, qui tenebant ministeria Ecclesiarum, natura erant ambitiosi, & implicabant se secularibus negotiis tractandis. Secunda, quod nobilitas & Magistratus erat ignavus & fugiebat labores, indulgebat voluptatibus, & curam gubernationis relinquebat ministris Ecclesiarum.

(s) *Ad Genes. 31. pag. 742. ff.* (t) *ad Genes. 21. pag. 1013. seq.*

§. XV.

Ita ingratus mundus non cognoscit nec æstimat donum *Ministeriæ Dei* in ministerio Evangelii cœlitus datum. *Magna benignitate est inest-*
erga nos utitur Dominus, loquitur nobiscum per ministerium ho- *mabile do-*
minum, & abscondit hoc modo formidabilem & nobis intole- *nam Dei.*
 rabilem majestatem. Sed quia ministerium nimis humile & familiare est, primum ipsi pastores, deinde ipse Deus in ministerio contemnitur, & tantum non conculcatur pedibus. Sed erit tempus, cum Deus, sic se humilians propter nostram salutem, ostendet suam majestatem, & opprimet securos contem-

Nnn nn 3

tores.

tores. Igitur agnoscamus summum & inestimabile ejus donum, quod ad hunc modum se exinanivit, & induit formam humanam. Non ideo contemnamus verbum, sed procidentes adoremus & osculemur ministerium sanctum, per quod Deus dignatur nobis loqui. Vere enim sumus populus ille, sicut Moses de Judæis suis dicit, qui habemus Deum appropinquantem ad nos, & habitantem nobiscum, siquidem *per tuum os loquitur mecum & per meum os loquitur tecum*: quin filius Dei ipse descendit in carnem, & factus est homo, eo solo consilio, ut nos ad se invitaret, & nos spem conciperemus misericordiæ, neque metueremus ab eo, sicut metuimus à majestate, quam natura nostra sustinere non potest, sicut scriptum est, *non videbit me homo, & vivet*. Item, *Deus ignis consumens est*. Induit igitur formam infirmam, nobis similem, atque ideo humanissimam, à qua tam non debemus metui, quam non metuimus nobis à nobis ipsis. - Meminerimus igitur nostri officii, & ministeria hominum, quibus Deus ceu mediis utitur, non contemnamus. Verum quidem est, quod solus Spiritus S. illuminat corda, & fidem accendit, sed hoc non facit sine ministerio externo.

Ad Genes. 21. pag. 997. seq. 1007. seq.

§. XVI.

à Deo exorandum.

Hoc donum à Deo precibus expetendum & digne æstimandum est. Id Christus innuit in quarta petitione Orationis Dominicæ. (u) Admonetur enim ea quisque, ut cor suum dilatet in totam Christianitatem, oretque pro se, & tota Ecclesia, præsertim pro ministris, quorū est verbum Dei tractare. Quemadmodum enim in tribus prioribus petitionibus ea quærimus, quæ ad Deum spectant, ut sua in nobis accipiat: ita hic pro Christianitate oramus. Inter omnia vero nihil magis necessarium & salutare est Ecclesiæ, quam panis quotidianus, id est, ut Deus ministerium doctum efficiat, & verbum suum in toto orbe prædicari sinat. Nam si status Ecclesiasticus & verbum Dei

Dei

Dei bene constituta sunt, Christianitas floret & viget. Ideo sæpe (x) monui, & adhuc moneo, ut, qui salvus fieri vult, omni studio oret, quo Deus det (quemadmodum Christus ipse orare iussit Matth. IX. 38.) fideles operarios, & tales pastores, qui serio suo munere funguntur, & verbi tenaces sunt. Quod si fecerint, bene se habebunt res Ecclesiæ. Si vero preces omiserimus, & Deum securitate, satietate & ingratitude nostra ad iram provocaverimus, pro Paulo aliisque veris pastoribus, rudes asinos nobis dabit, qui verbum & Sacramenta auferent, ut omnia amittantur, in doctrina & officio, prout jam videmus alicubi contigisse quibusdam regionibus & civitatibus.

(u) Tom. I. Alt. p. 93. b. (x) Tom. VI. Alt. pag. 264.

§. XVII.

Quales eligi debeant ministri, hinc quodammodo patet. *Quales eligi* Credo enim jus istud loquendi (1. Cor. XIV.) etfi omnibus commune sit, non tamen posse aut debere exequi nisi eum, qui idoneus sit præ cæteris, & ei, qui idoneus sit, cæteri locum facere teneantur, ut servetur ordo & honestas. Sic enim & Timotheo præcipit, ut commendet verbum iis, qui idonei sint & alios docere. Exigitur autem ad loquendum ultra spiritum etiam vox, eloquentia, memoria & alia naturalia dona, quibus qui caruerit, merito suum jus alteri supponit, ita mulieres Paulus prohibet loqui, non simpliciter, sed in Ecclesia, nempe ubi sunt viri, potentes loqui, ut ne confundatur honestas & ordo, cum vir multis modis sit præ muliere idoneus ad loquendum, & magis eum deceat.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 333. b.

§. XVIII.

Naturalia autem dona non sufficiunt; imo (y) omnia donaturalia, quæ homo habet, five sint spiritualia, five corporalia, ut dona non sapientia & hypocritica iustitia ac sanctitas, eloquentia, potentia &c. nihil aliud sunt quam instrumenta diabolica ac infernalis

lis

listyrannidis, quibus Satanæ servitur, ejusque regnum prom-
vetur & augetur. Quando enim (z) ii, qui Spiritum S. non ha-
bent, alios docere & regere volunt, jam omnia damnata sunt;
nihil quippe aliud efficitur, quam ut vetus Adam magis firme-
tur, & in suo sensu perseveret, quod suum opus, sua pietas &
prudencia coram Deo valeat. Unde fieri non potest, quin pro-
fundius in diaboli regnum tendant. Verum de his aliisque plu-
ra vide in Prolegom. de Theologia §. XX. seqq.

(y) *Tom. VII. Alt. p. 29. a.* (z) *Postill. Eccles. Dom. IV. P. Pasch.*

§. XIX.

Requista
Ministro-
rum.

I.

Placet nunc ex Enarrat. in Psalm. VIII. 3. supplere, quæ ali-
bi forte relicta in præteritis sunt. *Primum*, inquit, *ex ore*. Gran-
de monitorium, sed fidele iis, qui in Ecclesia verbum tractant.
Tunc enim recte tractatur, quando discernitur os à verbo; ut
verbum sit non ejus, qui prædicat, imo nec prædicet, sed sinat
Christum per os suum loqui. Sic Paulus 2. Cor. XIII. 3. an expri-
mentum quæritis ejus, qui loquitur in me Christus? poterat
enim hic dicere, infantes perfecerunt laudem, sed reprehen-
dendi eramus nos temerarii fabulatores, qui insalutato Spiritu S.
quicquid in mentem, imo in buccam venit, populo effundimus.
Quin alii de industria scrutantur & quærunt, ne solita prædi-
cent, hoc est, ne Christus verbum suum, sed ipsi verbum suum
doceant. Ideo & sequitur, ut non solum non destruant inimi-
cum & ultorem, sed potius fortificent & faciant irrisorem. Huc
pertinent & illi, qui sibimet conscii magnæ doctrinæ suæ, peri-
culum sibi somniant longe maximum, si non alios doceant, cau-
santes se se talentum sibi datum in terra defodere, & cum servo
pigro duram sententiam Domini expectare: adeo ridiculis nu-
gis diabolus ludit horum phantasias. Quos hoc versu oportet
instructos scire, nos non esse qui docemus, nec verbum nostrum
docendum, sed solum os nostrum posse verbo ejus servire, si
ipse voluerit & vocaverit. Tu (inquit) perfecisti laudem, non
illi, non nos, Secun-

Secundo, infantium & lactentium. Hic verbi minister docetur, ut infans sit cum infantibus, & (juxta Paulum) fiat omnibus omnia, ut omnes lucrifaciat, omnino cavens ne ququam despiciat ac fastidiat, sicut infantes præ simplicitate sua prorsus nullum noverunt personarum respectum, sed sunt omnibus æquales & iidem; quid enim periculosius in verbi Dei ministro, quam si alius sit magnatibus & divitibus, alius infimatibus, & pauperibus, qui in hoc mittitur, ut omnibus serviat, nulli aduleatur, nullum fastidiat. Vix invenias in Scripturis, contra quod æque pugnet Spiritus, atque contra personarum iniquum aspectum, quod difficile sit personas & larvas contemnere & homines in Deo invisibili amare & quærere. Deinde hoc docentur, ut sint blandi, non contumeliosi, & (ut Tit. I. dicit) non præfracti, non percussores, non iracundi &c. Tales enim non sunt infantes & lactentes. Sed & ostentatio hoc verbo reprehenditur eorum, qui ambulant in magnis & mirabilibus super se, docentes sublimia & difficilia, quæ ad rem non pertinent, quæ populus nec capit, nec si caperet, fructum acciperet, & omnino omnis doctrina humanitus concepta & tradita quocunque adulterio sensus carnalis, aliena à divinitus inspirata.

Tertio, perfecisti. Nec satis est, scilicet, etiam Dei verbum docere, nisi recte doceatur. Sicut Timotheum instituit Paulus, ut recte verbum Dei tractet. Sunt enim multi anxii & vani prædicatores, æstuantes & tumultuantes, qui ignorant aliud esse plantare & rigare, & aliud incrementum dare, statim, ut dixerint, omnia facta velint, non tam volentes audiri, quia verbum Dei dicunt, quam quia ipsi sunt verbi dictores, organum magis, quam sonum commendari petentes. Horum portio est, qui meditatis ac conceptis à se verbis promittunt sibi ipsis, nunc hos, nunc illos pungere & mordere, ac statim convertere, ubi sit miro Dei consilio, ut nihil minus impleant, quam quod cogitaverunt, *Sentit enim naturaliter anima hominis verbum arte su-*

Ooo oo

per.

per se compositum esse, & stercore humano (ut apud Ezechielem IV. est) *opertum, id est, humano affectu pollutum*, ideo nauseat super illo, & potius irritatur quam convertitur. Tunc autem potius movetur, quando nullam industriam dicentis, sed liberum verbum audierit. Liberum enim & sincerum vult in publicum proferri & tangere, quos prædicator ipse nescierit. Sicut in hanc rem multa legimus exempla. Itaque nostrum sit, *ostentum accommodare verbo*, Dei sit perficere & incrementum dare. Sic Christus Matth. XXI. missis discipulis asinam & pulum prædixit, quos illi non viderunt, nec noverunt, & tamen ibant ad incognitos adducendos. Quare stulta ista fiducia posita, quasi nos quidquam valeamus verbo cooperari in auditore, potius oratione satagamus, ut sine nobis, solus ipse perficiat in auditore, quod loquitur in Doctore, ipse est enim qui loquitur, & ipse est qui audit, & omnia in omnibus operatur, nos vasa & instrumenta ejus sumus, nec accipere nec dare quidquam potentia, nisi ipse det & accipiat. Unde Psal. LXVIII. 19. *vigilanti verbo dicit: ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus*, cum Apostolus Ephes. IV. 8. dicat, *dedit dona hominibus*.

4. timidi
sunt & hu-
miles.

Quarto, si tales fuerint verbi ministri, sine dubio efficax & potens erit verbum, nec frustra proferetur. Sicut Es. IV. 11. dicit: *verbum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quacunque volui*. Nota, *quæ ego volui*, non quæ minister, & prosperabitur in his, ad quæ misero illud, non utique in iis, ad quos minister sua temeritate torserit, aut direxerit. Proinde horrendum & periculosum est utrinque, siue docere verbum hominum sub titulo verbi Dei, siue verbum Dei etiam purum torquere pro affectu proprio, quorum utrumque monstrum validissima tyrannide Ecclesiam hodie occupavit. Sit ob hoc *timidus & humilis*, quicumque populo Christi in verbo præest, & *magis orationis puritate quam industria virtute studeat liberum verbum, & solum simpliciter tradere*, commendans

dans Deo tam suam linguam, quam auditorum animas. Statutum est enim in Ecclesia Dei non esse magistrum, nisi illum, qui dicit, unus est Magister vester Christus. Et Psal. LX. *Deus locutus est in sancto suo*, id est, in sanctuario suo, quod est Ecclesia. *Ubi autem loquitur homo, vel Satanas*, sine dubio *ibi lupanar & synagoga Satanae est*. Quale enim est verbum, talis populus, talis Deus, talis cultus, talis fides, talis conscientia, talia opera, & omnia: adeo in homine omnia aguntur verbo solo.

Tom. II. 1^{er}. Lat. fol. 96. b. 97. a. b.

§. XX.

Tales ministri sunt audiendi & recipiendi, tanquam legati Christi. *Qui vos recipit, me recipit*, &c. Matth. X. 40. (a) Mira ^{Consolatio} hæc consolatio est, quod provocat nos ad fidem, ista magni- ^{& gloria}fica & inaudita gloria, scilicet, quod certi esse debemus, si ver- ^{docentium}bum Dei ab Apostolis & ministris audimus & suscipimus, idem ^{& audien-} sit, ac si ipsum Christum, imo ipsum (inquit) qui me misit, audimus & suscipimus. Hanc gloriam Paulus passim jactat. - Sic iterum *nobis prædicantibus est gloria & consolatio*, quod certi sumus, nos esse *organum Dei*, linguam nostram esse linguam Dei, vocem nostram esse vocem Dei; quia tum possumus magna fiducia contemnere contemtores verbi, & insultantibus dicere: non me doctorem, sed te deluseris ipsum; non mihi homini, sed Spiritui S. facis contumeliam; non meum, sed Dei verbum contemnis. Quid ad me? Tu videris. Sic ad Samuelem dicit: *non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*: & Petrus ad Ananiam: *non es mentitus hominibus, sed Deo*. Econtra possumus fratres certissime consolari & dicere: non ego tibi loquor, sed Christus per me: verbum meum non est meum, sed Christi. Accipe igitur consolationem per me non meam, sed Dei tui, qui te creavit, servat & redemit, noli timere, ipse dicit: *qui vos recipit me recipit, qui vos audit me audit*. Summa summarum; hæc est inæstimabilis gloria conscientia nostræ,

O o o o 2

con-

contra omnem contemptum in mundo, quod *Christus suos praedicatores plane Deos creat* ac sibi æquat, cum dicit, *qui vos recipit, me patremque meum recipit*. Sive ergo contemnimur, sive honoramur, non nos, sed Deus in nobis contemnitur & honoratur. Si enim in mundo sic habet, ut servus vel legatus contemptum sui, Domini sui contemptum potest cum omni superbia jactare: quanto magis nos debemus superbissime jactare, non nos neque verbum nostrum, sed Dominum nostrum & verbum Dei nostri esse contemptum. Vult autem Christus isto verbo generaliter *consolari omnes docentes & audientes*, ac si diceret: aliqui dicent forte, *ja* / si audirem ipsum Christum, facile crederem. His respondet: *qui vos audit*, scilicet Apostolos, *me audit*. Nam posset aliquis Judæus dicere, *ja* / si Deum ipsum audirem, respondit Christus, qui me recipit, Deum recipit. Ita posset nunc tertio loco dicere, o si dignus essem audire Apostolum, facile crederem. Respondet, audi Prophetam, id est, interpretem, hoc est, doctorem, Episcopum, pastorem, qui est in officio publico verbi (nam Prophetæ est nomen publicæ personæ, & discipulus Apostolorum in Ecclesia) & vere Apostolum, me & Deum audivisti, imo æqualis illi Prophetæ eris, quem audisti. Hic potest distinctio poni inter gradus Ecclesiæ

Gradus Ecclesiæ.

I. Cor. XII. *primo Apostolos, deinde Prophetas &c.* Nam ab Apostolis omnes acceperunt, ipsi à Christo, Christus à Deo, post à Prophetis, id est, docentibus Scripturam, alii pastores, doctores, quales nunc sunt Capellani, Concionatores, lectores &c.

Est igitur hæc ingens gloria, (b) qua nos ornat majestas divina, quod sic per nos operatur, ut nostrum verbum suum esse dicat, & nostras actiones suas, ita ut vere possis dicere: os pii Doctoris esse os Dei, manum, quam extendis ad inopiam fratris, esse Dei manum.

(a) *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 319. a, b. 320. a.* (b) *in Genes. 19. p. 714.*

§. XXI.

§. XXI.

Ministri vero verbi est non solum doctrinam puram pro-
ponere & instillare, ac omnia (c) mundi arguere, sed etiam *Sanctitate*
exemplo suo idem testari, & pro verbo opes, gloriam, vitam, ju-
stitiam, sapientiam & omnia ponere, ut ostendat quæ docet *vita prae-
cere debet*
in seipso primum. Arduum itaque est ministerium, sicut incre-
dibile est & mysterium, quod per ipsum ministratur; ideo ad
seipsum recipit hoc opus virtutis, ut nemo suis viribus præsumat
docere, sed Christum in se sinat narrare. *Impii* (d) *doctores de-
serendi sunt*, quia jam hi non funguntur persona Christi, sed
sunt Antichristi. Et Christus ait: *cavete à Pseudoprophetis*, Matth.
VII. 15. Et Paulus Gal. I. 9. *si quis aliud Evangelium evangeli-
zaverit, anathema sit*. Quamquam autem secundum verba Arti-
culi VIII. Aug. Confess. & Sacramenta & verbum, efficacia sint
propter ordinationem & mandatum Christi, etiamsi per malos
exhibeantur, nequaquam tamen mali ministri excusabiles sunt.
Quo de Noster prolixè egit in Tract. de Captiv. Babylon.
(e) ubi dictum usitatissimum Gregorii, quod *Missa mali Sacerdo-
tis non minoris ducenda sit, quam boni cujuscunque*, quo operculo
multi suas impietates velabant, & hinc distinctionem operis ope-
rati & operis operantis invenerunt, ut secure ipsi male vivere &
aliis tamen benefacere præsumerent, examinat & explicat. In-
tegrum eum produximus Tom. I. p. 37. seq.

(c) Tom. II. Jen. Lat. fol. 262. a. (d) Apol. Aug. Conf. pag. 155. (e)
Tom. II. Jen. Lat. fol. 284. a.

§. XXII.

Cavenda in primis est Ministro verbi *κενοδοξία*, quando & *κενοδοξία* *fra-*
vere docet & sancte vivit. *Evangelium enim non est* (f) *tradi-*
tum, ut laudem & gloriam nostram inde quæramus, aut ut popu-
lus nos ejus ministros veneretur & magnificat; sed ut per illud *sola Christi*
illustretur beneficium & gloria Christi. - Ideo Evangelium est *gloria præ-*
dicanda,
tale doctrinæ genus, in quo nihil minus quærere debemus, quam
gloriam nostram. Proponit res cœlestes & æternas, quæ nostræ

Ooo oo 3

non

non sunt, quas nos nec fecimus nec meruimus, sed offert eas nobis indignis ex mera benignitate Dei. Cur ergo de eis arrogemus nobis gloriam? Ideo qui in Evangelio suam gloriam quaerit, à semetipso loquitur, mendax est, & iniustitia in illo est. Contra, qui quaerit gloriam ejus, qui misit ipsum, hic verax est & iniustitia in illo non est, Joh. VII. Gravissime ergo monet Paulus omnes verbi ministros, dicens, *si spiritu vivimus, spiritu & incedamus*, hoc est, maneamus in ordine, hoc est in doctrina veritatis semel tradita, in charitate fraterna & concordia spiritus. Simplici corde praedicemus Christum & gloriam Dei, & illi omnia accepta referamus, non praefereamus nos invicem alii aliis, non suscitemus sectas. Hoc enim non est recta incedere, sed verum ordinem relinquere, & novum ac perversum instituere.

*est vitium
omnibus
adhaerens,*

Nemo etiam ex piis est, qui non libentius cupiat laudari, quam vituperari, nisi aliquis tam bene obfirmatus sit hac in parte, ut nec laudibus moveatur, nec convitiis. Quare videat unusquisque, qui spiritum jactat, ut in ordine maneat. Si laudaris, scito non te laudari, sed Christum, cui omnis laus & gloria debetur. Quod enim pie doces, sancte vivis, non sunt donata, sed Dei, ergo non tu laudaris, sed Deus in te. Hoc ubi agnoveris, in ordine manebis, non effereris gloria, (quid enim habes, quod non accepisti?) sed eam acceptam feres Deo. Nec convitiis, infamia, persecutione moveberis, ut deferas vocationem &c. Deus ergo singulari gratia hodie obruit gloriam nostram infamia, acerbissimis odiis, persecutionibus & blasphemis totius mundi: deinde contentu & ingratitude nostrorum hominum, rusticorum, civium & nobilium, (quorum inimicitia & persecutio contra Evangelium, ut est occulta, & intestina: ita nocentior est, quam hostium, qui palam illud persequuntur) ne de donis nostris superbiamus. Hanc molam asinariam oportet suspendi in collum nostrum, ne illa peste inanis gloriae

ab eo liberari petamus.

riæ

riæ inficiamur. (g) Recte illud de *Episcopo* quodam celebratur, qui cum necessitate cogeretur ad ministerium docendi, flexis genibus recusabat munus id, aut si Deus omnino id vellet suscipi à se, *postulabat ab ambitione & vanæ gloriæ studio liberari*. Si enim Paulus summus Apostolus ab hac peste non liber est; imo si non nisi hoc medio, ut crucifigatur & colaphisetur à Satana, liberari ab hoc morbo potuit, quid nos non metuemus, qui longe infra eum sumus positi? *Natura enim aliud non possumus, quam ut superbiamus in donis Dei*. Hanc pestem satis mature se videre didicisse, *Lutherus* ipse scribit, ac initio Evangelii, cum Deus se, præter suam voluntatem, per mirabiles occasiones, in causam reformationis involvisset, rogavisse Deum ardentibus votis, ut se ab hoc malo liberaret, & exauditum esse. - *Mirificat Deus sanctos suos*, h. e. varie exercet, ne fiant hæretici, ne præsumant de donis, & insentur contra eos, qui ea non habent; qui enim hoc faciunt, ruinæ sunt proximi. *Qui igitur in Doctores Ecclesiarum* deliguntur, ut gubernent alios, hi præcipue contra hanc tentationem orent, tanquam contra summum & periculosissimum malum.

(f) *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 179. b. 180. a. (g) ad Genes. 15. p. 297. seq. 297.*

§. XXIII.

Eandem in sententiam, imo etiam explicatius & significatius scripsit in enarratione Psal. XXVI. ideoque non possum, *Remedium contra ambitionem.* quin locum integrum è Germanico in Latinum conversum, adponam. *In duobus primis versibus David de doctrina egit oravitque, ut ea pariter ac fides fiducia ve cordis pura sit. Nunc ad vitam progreditur, quæ non potest ita prorsus pura esse. Vel quia vita exercitium fidei & doctrinæ esse debet, in sequenti versu Prophetæ petit, ut Deus vitam quoque externam sanctam efficere velit. Multas sane habet causas, cur Deum serio hoc nomine invocet, quemadmodum ait: probame Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum. Q. d. doctrina pura est, nec verbi*

verbi aut prædicationis est defectus, & cor integrum est; sed carnis pravam indolem & naturam semper adhuc sentio: in carne mea hæret *κavadoξία*, concupiscentia mala, odium & invidia; inprimis autem subtile istud venenum, ambitio, usque recurrit, per quod peccatum illi quoque sæpe impingunt, qui verbum Dei purum acceperunt, & unde omnia mala oriuntur. *Ambitio enim mater omnium hæresum & sectarum est*, ubi quis se effert ultra vulgus & gregem, & aliquid esse cupit, & sensim à via recta declinat. Contra occultam hanc nequitiam quotidie orandum est, ut Deus ambitionem supprimat; sicut & Paulus ait: *alterum honore præventes*, Rom. XII. 12. q. d. immiscet se semper vetus asinus; quando homo à Deo illuminatur, aut de Deo & Christo aliquid loqui potest, evestigio aliquid esse vult, ut omnis mundus dicat: iste est vir, est doctus, nobilis &c. Sic felis egregie se ornare potest, & concidit cito fides & verbum Dei. Non possumus satis nos munire adversus turpissimum hoc vitium: alia corporalia vitia tam crassa sunt, ut ea sentiamus facile; sed hoc se semper ornare potest, & verbo Dei se niti ait, sed vana gloria latet subdole. Unde David dicit: *proba me*. Q. d. me tange, negotium mihi facesse, impone mihi opprobrium, persecutionem & calamitates. Omnes Vates contra illam vafritiem orarunt. Hæc probatio igitur & tentatio nihil aliud declarat, quam calamitates vel castigationes à Deo immissas, ne efferramur, sicut Paulus etiam 2. Cor. XII. 17. dicit, *sibi datum stimulum in carne sua, angelum Sathana, qui se colaphizet, ne extollatur nimium ob insignem revelationem sibi factam*. Purâ fidem habebat Paulus, nihilominus tamen metuebat hoc vitium, ideoque Deus refrenare eum debebat isto modo. Quid vero multum superbimus & arrogantes sumus. Multi hic sunt studiosi, qui, si vel per dimidium annum Wittenbergæ vixerunt, omnibus artibus & disciplinis abundant, videnturque sibi me longe doctiores esse. Quando ad alios veniunt inque rus excurrunt, scientia eorum

*Studiosorum
vitium familiare.*

eorum erumpit instar cataraetæ; & centum pondo esse apparet, cum vix unius drachmæ sit. Hoc superbia facit, ut, si vix unum vel duo verba didicerunt & nos semel audiverunt, sibi persuadeant temere, omnia se devorasse & posse, & plura quam illi, qui prædicant.

Tom. II. Alt. pag. 899. a, b.

§. XXIV.

Ministrorum functiones & labores sunt, communicare doctrinam, consolationes, minas &c. & administrare Sacramenta. Hoc igitur ut juste fiat, necesse est operarios *justitia indui*, ut David innuit Psal. CXXXII. 9. *Sacerdotes tui induantur justitia; non solum privata illa justitia, quæ singulorum est, sed maxime publica justitia, quæ est ministerii seu verbi, quæ nunquam potest esse corrupta. Quia etsi persona potest esse vitiosa, tamen ipsa administratio verbi & Sacramentorum non est vitiosa.* Neque enim verbum aliquid accipit à persona, sicut nec Sacramenta. Si igitur essem ego sceleratissimus homo, & tamen secundum ministerium & vocationem meam baptizare, *Baptismus* propter vitiosam personam non viticaretur, sed retineret puritatem suam, & esset purior sole. Sic verbum, quia est verbum Dei, est etiam purius sole, utcumque vitiosus & peccator sit, qui id docet. Sic *Sacramenta* sanctissima & purissima sunt, etiam si per indignum hominem administrentur. Ad hunc modum loquitur de justitia regente ac gubernante in hoc regno, non de *personali justitia*, qua sumus singuli justis nostris operibus. Hæc enim justitia, quia nunquam est sine vitio, secundum sententiam: *pro hac orabit ad te omnis sanctus*, ideo alia justitia opus est, quæ nunquam sit cum vitio. Ea est justitia, qua administratur regnum Christi, nempe ipsum verbum & Sacramenta. Tum autem vere induti sunt Sacerdotes justitia, cum justum officium administrant, hoc est, *cum verbum pure docent*, sicut Petrus dicit: *si quis loquitur, tanquam sermones Dei*, 1. Pet. IV. II. Cum

Officium
ministrorum.
dist. inter
justitiam
publ. & pri-
vatam.

PPP PP

Sacra-

Sacramenta pure administrant, ut quicquid tum loquuntur tum faciunt, sit aut verbum Dei, aut opus Dei. Sic qui baptizat, non facit aliquid suum opus, quod aut ipse finxerit aut exegitarit, sed baptizat in virtute divina. Sic qui consolatur afflictam mentem, facit id non ex sua voluntate aut electione, sed ex certo præscripto divinæ voluntatis. Quare etiam qui verbum id audit, non debet accipere tanquam verbum hominis, sed tanquam vocem de cælo sonantem. Sic justum est ministerium, quod vere sit in virtute divina, & hæc est vera iustitia. Contra qui sic docent, ut jubeant fidere propriis meritis & operibus, ut certam vestiendi, comedendi, jejunandi &c. formam præscribant, sicut Papistarum & Turcarum iustitia tota in his externis consistit, tales Sacerdotes sunt induti iniquitate, iniustitia, blasphemis & sacrilegiis. Amiserunt enim præcipuum ornamentum sui ministerii, & verum vestitum, quod non vere docent, nec gubernant vere, sed seducunt potius homines specie gubernationis & ministerii sui, idque impulsu Satanæ odientis hanc justam administrationem & subvertentis Sacerdotes.

Tom. IV. Gen. Lat. fol. 506. b.

§. XXV.

*Præsentia
ministeriorum
in verbo recte
secundo
& distinguendis
auditoribus.*

In docendo & tradendo verbo magna sapientia opus est, ut & Lex & Evangelium proponatur, & duplices auditores recte discernantur, & quisque audiat suam vocem. Id Paulus monet, quando *verbum recte secundum* præcipit. Sicut enim non omnibus corporibus omnes cibi conveniunt pariter, ita aliud doctrinæ genus est, quo erigendi sunt infirmi, pusillanimes, confRACTI, & contriti: aliud quo duri, insensati, securi, flagitiosi in viam revocandi. Apud Esaiam LXI. dicit filius Dei: *Spiritus Domini super me, ut mederer contritis corde.* Sed tale cor non habet Papa & Episcopi, qui persequuntur verbum, & Ecclesias nostras quærunt evertere: nunquid igitur his quoque annuncian-
ciandum

ciandum est Evangelion, habere eos Deum per Christum placatum? hoc modo magis indurabantur & peccabant securius. *Contundendi* igitur sunt *malleo legis*, fulmina & tonitrua Synaica talibus sunt ostendenda. Contra, qui luctantur cum morte, aut aliis periculis exercentur, hi audiant: *confortetur cor tuum, viriliter age, expecta Dominum. Si mille ceciderint à dextris tuis, malum ad te non appropinquabit. Ego cum ipso sum in tribulatione. Venite ad me, ego reficiam vos &c.* Hæc gratorum cordium medicina est, quæ non sunt sicut istæ rigidaæ cautes, & petraæ adamantinaæ, quibus malleo opus est. Ezechiel recte dicit, peccare Prophetas, qui cor iusti mendaciter perterrefaciunt, hi enim sunt *linum fumigans*, quod foveri, non extingui penitus debet; sicut etiam in alteram partem peccant, quod manus impii confortant, & non potius eos accusant & damnant. Hodie multos invenias, qui offenduntur necessaria præ-
 dicatione legis, eamque fugiunt: dicunt enim gravari suas con-
 scientias, cum talia audiunt. Sed hi an non suaves Christiani sunt? Peccare non desinunt, indulgent avaritiæ, libidini, commensationibus &c. hæc peccata cum audiunt reprehendi, offenduntur, & nolunt conscientias gravari. Ergo sinamus singulis facere quodlibet, & prædicemus eos beatos? Minime. Audis enim Sodomæ incendium proponendum omni posteritati, ac quidem ipsi Ecclesiæ Dei, ut discant homines timere Deum. In *Antinomorum* dogmate erat hæc propositio: *si quis esset adulter, tantum ut crederet, & habiturum Deum propitium.* Sed qualis erit quæso Ecclesia, in qua tam horribilis vox sonat? Faciendum discrimen erat, & docendum, quod adulteri seu *peccatores* sint *duplices*, *quidam*, qui agnoscunt adulterium, seu peccatum suum; ita, ut toto animo cohorrescant, & incipiant serio pœnitere, nec tantum doleant de eo, quod commiserunt; sed etiam ex animo optent, & studeant tale nihil committere unquam posthac. Hi non securi in peccato, sed perterrefacti, ac paventes

Ppp pp 2

iram

iram Dei, si apprehendant verbum Evangelii, & confidant misericordia Dei propter Christum, salvantur & habent remissionem peccatorum per fidem in Christum. *Alii* sive adulteri, sive peccatores, etsi excusare peccatum suum non possunt, non tamen de eo dolent, gaudent potius cum sunt potiti voto, quarunt occasiones peccatorum, & eis secure indulgent: hi quia destituti sunt Spiritu S. non possunt credere, & decipit eos, qui talibus de fide concionatur. Aliam medicinam hic morbus postulat, ut dicas cum Paulo: *adulteros judicabit Deus: non videbunt regnum Dei*: sine castitate nemo placere Deo potest: Ergo sunt polluti isti, sub ira Dei &c. Talibus ad petras istas contundendas malleis opus est. - Hoc nesciunt illi stulti & mendaces Prophetæ, qui contendunt legem non esse docendam in Ecclesia, & in universum neminem esse arripiendum durius, aut gravandum in conscientia. Sed si hoc verum est, cur vult Dominus in ipsa Ecclesia retineri exemplum Sodomæ, & ab Abrahamo doceri? Quia autem addit, *ut timeant Dominum*, nonne qui tantum promissiones doceri volunt, doctrinam timoris Domini excludunt penitus ex Ecclesia? - Totam Scripturam si divides, duo complectitur, promissiones & minas, seu beneficia & pœnas; ac vere, ut apud *Bernhardum* est, sunt dura corda, quæ neque flectuntur beneficiis, nec plagis emendantur. - Semper invenies *duo* hominum genera, alterum superbum, præfractum, contemnens verbi ac piarum admonitionum, & immodice securum: hos si suaviter tractes, si misericordiam Dei eis proponas, deteriores reddes. - Posuit autem Deus ministerium verbi in hunc mundum, non ut tacerent ministri, sed ut arguerent, docerent, consolarentur, terrerent, atque hoc modo salvarent quoscunque possent. Hoc ministerium *Antinomi* in totum tollunt, dum reprehensiones nolunt ferre, ac jubent nos consentire ipsorum peccatis, contra Pauli sententiam, qui non solum facientes sed & consentientes damnat,

damnat, Rom. XI. *consentiunt autem, qui peccata non arguunt,* ut si dissimularem *Cardinalium, Papa, Episcoporum* peccata, & blasphemias & tyrannidem. Atqui Dominus apud Prophetam dicit: *tu liberaveris animam tuam, si argueris peccata populi tui.* Sicut etiam pessimi homines in misericordia tolerandi. Sed cum volunt nos secum rapere in interitum, ibi misericordia cesset, necesse est: non parentum autoritas, non liberorum amor tanti nobis esse debet, ut cum eis perire velimus. Altera pars, qui jam antea humiliati & pavidum sunt, sicut Christus eos vocat pusillum gregem, ac mandat ne timeant, hi etsi infirmi sunt, & varie peccant, tamen non sunt præfracti, nec indurati, erga tales sit minister prudens ac fidelis, qui recte secet verbum Dei, & nihil peregrinum sanæ doctrinæ admisceat, terribis ira & iudicio Dei non terreat amplius, sed erigat. Hæc magna sapientia est, & in ministerio admodum necessaria, ut *duplices auditores* recte discernantur, & quisque audiat suam vocem, duri horribilia iræ divinæ exempla: pavidum autem suaves consolationes. Christus enim positus est, aliis in resurrectionem, aliis in ruinam. Humiliati igitur erigendi sunt: contra in securitate exaltati, deprimendi, sicut sancta Maria in suo cantico etiam docet. Hæc est recta sectio. Non enim fieri potest, quin pavidi securis admixti sint: moderatione igitur hac opus, ut qui sunt duri, sciant se per horribilibus exemplis. Pavefacti autem arripiant verba solatii, & promissionis. Atque hoc postea spiritus S. officium est, per verbum & confessionem dirigere corda, ut pavidi apprehendant consolationes, præfracti autem vel convertantur, terribis voce legis, vel prorsus pereant. Non enim sine discretionem universi damnandi sunt.

In Genes. 18. pag. 651. seqq. & in Gen. 19. pag. 679. seqq.

§. XXVI.

Nec vulgo tantum veritas dicenda sunt, sed & magnati- *Officio e-*
bus. Sunt (h) hodie multi qui veritatem dicunt tantum vulgo, *lenchtico*

PPP PP 3

omnia

*subiunt
omnes,
etiam ma-
gistratus.*

*liberiores
conciones
male dicun-
tur seditio-
nes.*

orania patienti, non iis, quos timent sese persecuturos, quibus tamen maxime omnium dicenda est. Omnis prædicator seu (i) minister vir rixarum & iudicii est, ac cogitur ex officio reprehendere, quicquid vitiosum est, non habita ratione vel personæ, vel officii in auditoribus; licet non principes, non nobiles, imo non cives, non rustici argui velint, potius arguunt ipsi Spiritum S. & iudicant in ministris. Metiuntur enim ministerium ex personæ vilitate. Non solum (k) tyrannis veritatis impatientissima est, sed causas fingit, cur hæc doctorum libertas coerceri debeat. Sicut nostro tempore pro dolor nimis multa exempla extant, quæ alioqui tolerabiles Magistratus veritate offensos esse ostendunt. Fit enim, quod bellissima fabula ostendit, ut leones ægre patiantur sibi à leporibus quasi leges præfigi, ad quas consilia & facta sua dirigant. Dum igitur lepores pio studio concionantur leonibus, aut leonum ungulas cum discrimine experiri, aut vitam fuga tueri conantur. Usitatum est autem hodie in aulis, ut *liberiores conciones*, in quibus Magistratum vitia notantur, *seditiosas* esse dicant. Sed si seditiosum est, Magistratum vitia notare, quæ sote, quid de Micha dicemus, qui non dixit sed scripsit quoque hæc? ac palam dixit, se non cum rusticis, sed cum ipsis Principibus & capitibus agere. Num enim veritas seditionis causa est, quæ & Deo grata est, & peculiariter ministris verbi commendata? Sacræ literæ & experientia quoque prolixè testantur, seditiones esse poenas divinitus immisas non propter veritatem Doctoribus mandatam, sed propter peccata Magistratus, quæ ob certas causas notanda sunt, non dissimulanda aut tacenda. Nam dissimulatio Deum ultorem & traductorem talium peccatorum excitat. Nam 1. cum Magistratus in Republica sit quasi caput in corpore humano, non potest cum fructu medicina adhiberi reliquo corpori, nisi prius caput sanatum sit. 2. Quia peccata Magistratus, tanquam personæ publicæ, publica sunt, & latius patent quam

quam privatorum, non solum ratione scandali, quod vulgus poelive est ad Principum vitia imitanda; sed etiam quod Magistratus postea languidior redditur ad ea reprehendenda in subditis &c.

(h) *Tom. II. Jer. Lat. fol. 63. b.* (i) *in Genes. 6. p. 320.* (k) *Tom. IV. Jer. Lat. fol. 553. a, b.*

§. XXVII.

In explicatione Psalmi LXXXII. prolixè & ex instituto No- *è Psal. 82.*
 ster de hoc argumento agit, ac in præloquio etiam monet, ma- *Lutheri ex-*
 lam gratiam referre Magistratum Evangelio ejusque ministris, *positio huc*
 quod liberati à tyrannide Pontificia, ab Evangelio quoque re- *apprime sa-*
 prehendi nolint, eosque qui elenchum in ipsos stringit, sedi- *ciens.*
 tiolos vocent. Unde fortiter illis opponit verba Psalmi, &
 commatis etiam primi. *Docet, inquit, hic versus: Deus judex*
est inter Deos, non esse seditiosum, reprehendere Magistratum,
 si id fiat ea ratione, ut hic legitur, nempe, ut fiat per officium à
 Deo demandatum, & per verbum Dei, publice, libere & sincere;
 sed potius laudabilem, nobilem & raram virtutem singula-
 remque Dei cultum, ceu Psalmus hic demonstret. Imo *seditio-*
sum foret, si Pastor aliquis vitia Magistratus non argueret; sic
 enim populum offenderet, in malo confirmaret tyrannos, ac
 se omnium istorum peccatorum participem faceret, & iram
 Dei & ex ea resultantem seditionem acceleraret. Ubi vero Do-
 mini æque ac subditi, & vicissim, reprehenduntur (quod Pro-
 phetæ faciunt) non possunt alii aliis quidquam objicere, sed
 utrique patienter ferre elenchum debent. Noxii sane & pericu-
 losi sunt pastores, qui unam tantum cœtus sui partem castigant,
 & vel solos Dominos culpant, ut plebem titillent, & rusticis
 adulentur, prout *Münzerus, Carlstadtus* aliique fanatici fecerunt;
 vel in plebem tantum invehuntur, & Dominis blandiuntur, ut
 adversarii (Pontificii) faciunt. Neutri parcendum parti, sed
 utriusque redarguenda vitia sunt. Minister enim verbi non est
 aulæ

aulæ

aulæ minister, aut rustici servus, sed Dei minister & servus, & mandatum ipsi datum Dominos & servos concernit, ut Psalmus hic ait, judicat & arguit Deos. Atque hoc etiam innuit verbum *judicat*, scilicet iudicio & jure, ut faciat pro eo ac par est, non pro arbitrio, ex gratia aut invidia, sed secundum jus, id est, juxta verbum Dei, quod discrimen vel respectum personarum non facit.

Tom. V. Alt. pag. 281. b. 282. a.

§. XXVIII.

Falsa dogmata redarguenda.

Quemadmodum in vitiis redarguendis minister Dei zelum divinum ostendere debet: ita quoque in dogmatibus falsis refutandis & hæreticis convincendis assiduus sit, exemplo *Lutheri* (l) qui A. 1521. in dedicatione Enarrationum Evangel. & Epistol. seu Postillarum, quas vocant, ad Fridericum Electorem, acerbitatem & immodestiam, vulgo ipsi objectam, purgans, ita inter alia scribit, se recordatum sancti illius viri Nehemiæ, & relictis otiosis contemplationibus Esræ, scribæ doctissimi, de pace desperare cœpisse, & ultro citroque se parare ad pacis & belli studia, una manu gladium apprehendere, Arabibus suis repugnaturum, & altera murum ædificaturum; ne si alteri tantum operi se impenderit, neutrum impleat, quando & *Hieronymus* dicat, *tantum Ecclesiis officere, qui adversariis non resistit, quantum in altera parte ædificat*. Et Apostolus mandat, ut Episcopus non solum potens sit cohortari in doctrina sana, sed & *contradictentes redarguere*. Unde quoque in enarratione Psal. XLV. (m) postquam dixerat, nos habere talem Regem, qui reddat invictos contra mendaces doctores, & tutos contra vim tyrannorum, gravem hanc exhortationem subjungit: *Ergo, vos fratres & patres mei, qui sustinebitis aliquando curam Ecclesiarum, sitis armati & instructi, non solum ad docendum & exhortandos bonos, qui recte sentiunt, ad fidem, sed etiam ad pugnandum, & ad arguendos adversarios*. Alioqui mox dissipabuntur Ecclesiæ, nisi

nisi si nt qui pugnent in acie, & adversarios confutent, qui dicta & sententias Scripturæ ab ipsis usurpatas explicent, & veritatem defendant. Dicit igitur hic, Dominus est potens in prælio, vincens per patientiam, omnem potestatem & tyrannidem mundi, & faciens ex nobis (sicut Jerem. I. dicit) civitates validas, ferream columnam, & æneum murum, & Esa. L. petreas facies, ut possimus tolerare omnia verbera, carceres, vincula, mortem; in summa, ut quicquid mundus & diabolus in summa sua ira possunt facere, possumus vincere per eum, qui habitat in nobis. Sic primo vim Tyrannorum vincimus, deinde vincit in nobis etiam, quando pugnamus contra diaboli dolos. Hoc est bellum nostrum, quanquam periculosum & asperum, tamen jucundissimum, quia victoria manet apud nos.

(l) Tom. II. Jen. Lat. fol. 339. a. (m) Tom. III. Jen. Lat. fol. 468. a.

§. XXIX.

Qui moderationem in Theologo requirunt, nil præter Moderatio-
fas postulant; sed videant, qui id suadent, ne confundant vi- & charitas
tia cum erroribus, & politiam cum Ecclesia. In Oeconomia non obstant
& Politia oportet (n) multa vitia tolerare, quæ postea regit *elencho do-*
remissio peccatorum. In Ecclesia autem non est remissio pec- *gmatico*
catorum, quoad verbum, sed est punctum mathematicum, *præciso.*
& summa puritas. Verbum enim sic est irreprehensibile, ut ne
jota quidem vitiosum sit in lege & promissionibus divinis. Qua-
re nulli secta cedendum est, ne in uno quidem apice Scriptura,
quantumcunque clament & calumnientur, nos charitatem
dissolvere, dum verba sic stricte retinemus; quia omnis chari-
tatis principium est, ut sceptrum aequitatis maneat. Quod si ali-
ter obtineri non potest, rumpenda charitas, & si quid etiam ma-
jus est, ut tantum verbum maneat purum. Stante autem hac
puritate verbi, & sceptro rectitudinis, volo libenter in chari-
tate tolerare mores & vitia fratris. Ideo diligenter *distinguen-*
da est Politia & Ecclesia, regnum Christi & regnum mundi, nec

Qqq qq

potest

exemplum
Pauli.

potest hoc discrimen satis disci, ut scilicet in politica administratione cum patientia toleremus, & cum Epiikia excusamus omnia, & tamen nitamur, quantum potest, ut fiat iustitia civilis. In regno Christi est vera dilectio Iustitiæ; quia verbum est purum, quod nullius jocus patitur, sed docet purissimam fidem & monet vitia fugienda esse. In doctrina igitur non relinquitur pulvisculus, quem non redarguamus & damnemus. *Pauli exemplum hic respiciendum Gal. II. 5. seq. qui ne ad horam quidem cessit per subjectionem falsis fratribus, ut veritas Evangelii permaneret, sed Petro quoque restitit. Hæc rei (o) summa esto.* Sinemus nobis eripi bona, nomen, vitam, & omnia, quæ habemus: Evangelium, fidem, Christum non patiemur nobis auferri. Et *maledicta sit humilitas*, quæ hic se demiserit: hic quilibet sit superbus & pertinacissimus, nisi Christum velit negare. Charitas cedit, quæ omnia suffert, credit, sperat; contra fides non cedit, imo nihil tolerare potest, juxta hoc vulgare dictum: non patitur ludum fama, fides, oculus. Quare Christianus, quod ad fidem attinet, superbissimus & pertinacissimus sit, nihil plane patiat, nulli, ne pilo quidem, cedat; *fide enim homo fit Deus*, 2. Pet. I. 4. Deus autem nihil patitur, nulli cedit, est enim immutabilis: sic *fides est immutabilis*; igitur nihil patitur, nulli cedere debet. Per charitatem autem Christianus cedat, & toleret omnia; tunc enim est merus homo. - *Per fidem oportet nos esse invictos, inflexibiles & pertinacissimos*, & si possemus, duriores adamante; per charitatem vero molliores & flexibiliores omni arundine & folio, & ad omnia obsequentes. - *Nec erubescamus accusari ab hypocritis superbi & obstinati*, qui soli sapere, neminem audire, nemini cedere velimus. *Christum (p)* prædicantem oportebat audire, quod esset blasphemus & seditiosus, h. e. quod sua doctrina seduceret homines, & Cæsari rebelles faceret. Idem Paulo & omnibus Apostolis accidit. Quid mirum, si simili modo nos hodie accuset mundus?

& co-

& cogamur (q) audire à *Sacramentariis* (aliisque) nos nostra *objectiones*
 pertinacia scindere charitatem & concordiam Ecclesiaturū, quod *adversario-*
 improbamus eorum doctrinam de Gœna Domini. Satiùs esse *rum de per-*
 ajunt, quod *nos conniveremus modicum*, (præsertim cum nihil *tinacia ni-*
 hic sic periculi) quam quod excitaremus propter unicum istum *bili facien-*
 articulum, & eum non præcipuum, tantas discórdias & conten-
 tiones in Ecclesia: imprimis cum in nullo alio articulo doctrinæ
 Christianæ dissentiant à nobis, præterquam in illo uno. Ad hoc
 ipsorum argumentum respondemus (r) cum Paulo: *modicum*
fermentum totam massam corrumpit. In Philosophia modicus
 error in principio, in fine est maximus. Sic in Theologia mo-
 dicus error totam doctrinam evertit. Quam longissime discern-
 enda sunt doctrina & vita. Doctrina non est nostra sed Dei:
 cujus nos tantum sumus vocati ministri. Ideo ne apiculam qui-
 dem de ea remittere aut mutare possumus: vita nostra est, ideo
 quod ad eam pertinet, nihil possunt Sacramentarii à nobis exi-
 gere, quod non velimus & debeamus etiam suscipere, condonare
 & ferre, salva tantum doctrina & fide. Hac in parte ne pilo
 quidem cedere possumus. Est enim doctrina instar mathe-
 matici puncti, non potest igitur dividi, hoc est, neque adem-
 tionem neque additionem ferre potest. Nos parati sumus ser-
 vare pacem & charitatem cum omnibus, modo doctrinam fidei
 relinquant nobis integram & salvam. Si hoc impetrare non pos-
 sumus, frustra exigunt à nobis charitatem. Maledicta sit charitas,
 quæ servatur cum jactura doctrinæ fidei, cui omnia cedere de-
 bent, charitas, Apostolus, Angelus è cœlo. Satis ergo testantur,
 cum tam calumniose causam hanc extenuant, quam magnifica-
 ciant majestatem verbi. Quod si crederent esse verbum Dei,
 non ita cum eo luderent, sed summo honore afficerent & sine
 ulla disputatione & dubitatione fidem ei adhiberent, scirent-
 que unum verbum Dei esse omnia, omnia esse unum. Item, sci-
 rent unum articulum esse omnes, omnes esse unum, & uno

Qqq qq 2

amisso

amisso, omnes paulatim amitti. Cohærent enim & quodam communi vinculo continentur. Sinamus igitur eos amplificare concordiam & charitatem Christianam; nos contra amplificemus majestatem verbi & fidem, cujus est nihil prorsus tolerare, nemini cedere. - *Si Deum in uno articulo negas, in omnibus negasti*; quia Deus non dividitur in multos articulos, sed est omnia in singulis & unus in omnibus articulis.

(n) *Tom. III. Jen. Lat. fol. 476 b. 477. b.* (o) *Tom. IV. Jen. Lat. fol. 35. b. 37. a. 38. a.* (p) *ead. Tom. pag. 100. a* (q) *ibid. fol. 237. b.* (r) *ibid. fol. 159. b. 160. seqq. Conf. Thesd. Fabric. Class. 4. pag. 63. seqq.*

§. XXX.

*Orandus
proficatur
quam dispu-
tando.*

Non tamen disputando & confutando adversarios videmus converti, præsertim autores hæresium. Non quidem spes desit, futurum, ut cedant veritati, sicut certum est eos convinci posse, sed non convertuntur. - Impossibile est, compescere perpetuos hæreticorum; hoc autem possibile est, ut eos convincamus & redarguamus: item, ut nostros ab eorum errore, ceu præsentissimo veneno præservemus. Debet enim Episcopus instructus esse, non solum ad docendos simplices, sed etiam ad redarguendos perversos. His contenti sumus, ut nostri præmoniti, in sana doctrina persistent. Cum primum ergo ad ministerium verbi vocamur, summo studio caveamus securitatem, quam mendaces linguæ & dolosa labia non permittunt. Itaque contra mendaciter dialecticantes & dolose rhetoricantes, debemus parati esse, non solum ut strenue reclamemus, & objurgemus eos, sed etiam *ut diligenter oremus*, ac meminerimus à Davide nobis hic ostendi Dominum liberatorem, qui solus in tali periculo nos servare & perdere adversarios possit. Conjugi enim debent exercitium verbi assiduum, & oratio.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 417. b. 420. Conf. supr. Tom. I. Theol. nostr. p. 46. seq. Proleg.

§. XXXI.

§. XXXI.

Magna itaque prudentia & cautela hic est adhibenda, ut *Prudentia*
 Christus Matth. X. 16. 17. præcepit: *estote prudentes &c. ca. & cautela*
vete ab hominibus. Serpentes estote, custodientes caput ve- *ministri in*
 strum, id est, ne conscientia pallescatis datæ occasionis seu *doctrina &*
 scandali. Nam conscientia seu fides est caput & gloria nostra co- *vita.*
 ram Deo, quod sinceriter (ut Paulus) viximus in hoc seculo,
 nulli dantes offensionem, sed exhibuimus nos sicut Dei mini-
 stros, tam doctrina quam vita. Quia diabolus & mundus, no-
 stram doctrinam student seditiosam & hæreticam facere, vitam
 vero impiam & licentiosam. Ideo sic est docendum & viven-
 dum prudenter, ut nulla iusta causa nec doctrinam nec vitam
 possint reprehendere, at si reprehendant mendaciter, confun-
 dantur in tempore inspectionis, sicut Petrus dicit: *ut si detra-*
xerint vobis tanquam malefactoribus, confundantur. Item Paulus
 Tit. I. *verbum sanum & irreprehensibile, ut adversarius nihil ha-*
beat contra nos. Hoc est igitur prudenter docere & vivere, ut in
 conscientia nostra nulla sit culpa, si mundus & lupi nos damna-
 rint vel occiderint. Deinde simplicitas est *docere & vivere*, utris-
 que scilicet bonis & malis indifferenter sine spe gloriæ & sine
 cupiditate vindictæ.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 313. a.

§. XXXII.

De iusta ac decenti usurpatione clavium, quæ inter mi- *Potestas, fi-*
 nisterii partes numeratur, nihil attinet dicere, cum, quæ huc *nis & effe-*
 pertinere possunt, occupata sint in *Loco de Absolutione.* Adde- *ctus mini-*
 re tamen nonnulla placet, quia finis, effectus ac potestas ministe- *sterii.*
 rii Ecclesiastici simul inde intelligitur. De quibus ita Noster
 egregie ad Genes. XLVIII. *Nos hoc tempore immenso Dei benefi-*
cio habemus magnificentissimam gloriam Christi, ut apparet ex
nostris concionibus, & toto ministerio. Inspice *Baptismum, Cœ-*
nam Domini, Absolutionem, Evangelium. Hæc dona Spiritus S.

Qq q q 3

ingen-

ingentia ab omnibus celebranda & prædicanda sunt, & Deus in illis agnoscendus & laudandus est, qui talem potestatem dedit hominibus. Ego enim non sum Patriarcha Abraham, Isaac, Jacob. Sed vide quid faciam. Accipio infantem, & baptizando eum, redimo ipsum à morte, diabolo, à peccatis, & transfero ex regno tenebrarum in regnum lucis. Hoc facit pastor Ecclesiæ, & quilibet Christianus tempore necessitatis. Tantam ergo misericordiam & bonitatem Dei merito admirari & prædicare debemus, quod benedicit nos benedictione æterna & spiritali, ita ut diabolus cogatur fugere, cum videt infantem baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Ibi enim non destruo non Turcæ, non Augusti, non Regis Persarum regnum, sed Principis & Dei hujus mundi. Ad eundem modum quando venit peccator confitens delicta sua, huic dico: *Absolvo te à peccatis tuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Ibi enim revoco eum ex inferno inferiori conturbatum, perditum, desperatum, absorptum, mortuum in peccatis suis æternaliter. Sic in Cæna Domini comedo corpus, & bibo sanguinem Christi Filii Dei, pro me traditum & fustum in remissionem peccatorum, hoc est, in vitam æternam. Longe igitur major & illustrior hæc gloria est, quam Patrum. Hoc tantum nobis deest, quod non aperimus oculos, aures, corda, & hæc suo pondere & dignitate metimur. Res vera & certa est: *qui baptizatur & absolvitur per manum pastoris, & in necessitate cujuslibet fratris, is sine ulla dubitatione sanctus & salvus est*, regnum diaboli, mors & peccatum destructum est. Per quid? per os miseri hominis, sacerdotis vel fratris. Certe hæc sunt miracula grandia & inæstimabilia, estque nobis à Deo potestas data incomparabiliter major, quam patrum fuit, quæ tamen erat excellentissima, quod Christus dicit ad nos: *ecce, ego vobiscum sum usque ad consumptionem seculi.* Item: *vado & venio ad vos.* Item: *veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.* Ecclesia soll mein
Wurgt

Burg/mein Schloß/mein Kämmer seyn. Sicut *Esaia XXXI.* dicitur: *Dominus dixit, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Hierusalem.* Quando igitur nos baptizamus, *Christus ipse baptizat per os & manus ministri.* An non hæc vere magnalia sunt, de quibus loquebantur Apostoli variis linguis? *Mira ceteres est, quod minister Ecclesia,* aut frater quilibet est minister regni Dei & vitæ æternæ, remissionis peccatorum, & destructionis inferni, denique apertionis cœli, & regni Dei. Ideo sumus filii benedictionis, non solum passive, quod sumus benedicti ipsi, sed etiam benedicendo aliis. Atque ita impleta est promissio data *Abrahæ: in semine tuo benedicentur omnes gentes.* -- Hoc igitur certo & firmiter statuendum est, quod pastor Ecclesiæ habet potestatem aperiendi cœlum iis, qui volunt baptizari, absolvi, doceri verbum; ideo quia habet facultatem & mandatum divinum, & potest & debet absolvere & remittere peccata, sicut expresse tribuit eis hanc potestatem Christus *Joh. XX. Quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Hæc vero non traduntur, sed obscurantur in *Papatu* imo prorsus oppressit & extinxit filius ille perditionis tanta dona & beneficia, quantum in ipso fuit. Sic enim docuerunt: non sufficit baptizatum esse, & in Christum credere, sed insuper etiam pedes meos osculari debes. Ideo dignissimus odio est *Antichristus*, qui sustulit nobis gloriam promissionis & fidei, ac regni cœlorum & vitæ æternæ, & jubet me obedientiam præstare fictæ personæ, & larvæ hominis peccati. *Er weist mich schlecht dem Teuffel in Hindern.* Horribilis omnino pœna fuit ingratitude. Demus igitur operam, à nobis gratissimus grati pro *magnificentia, & gloriæ regni Christi,* per lucem & doctrinam verbi divinitus *repurgata.* Quando doceo, non doceo ego, non consolor, sed Christus habitans in nobis. Ideo crede, non mihi, sed Christo baptizanti, consolanti, porrigenti Sacramenta per me, sicut promisit: *Ego ero vobiscum usque ad consummationem sæculi.* Ea enim est potentia Dei, & gloria

*In Papatu
obscurata
beneficia
ministeriis.*

*à nobis gratissimus
to animo
agnoscenda.*

gloria magnificentiæ regni Christi CXLV. Psal. Optarim igitur pios à teneris assuescere, ut magnificentissime loquerentur de nostra primogenitura, regno & ministerio, & ut grati essemus Deo, adeoque reverentia cordis & corporis totius gestu hæc honoraremus, quia sunt res divinæ & tales, quæ nobis donant regnum æternum.

Enarrati in Genes. XLVIII. pag. 967. seqq.

§. XXXIII.

*De ordina-
tione.*

*non est Sa-
cramentum*

Adjuncta Ministerii sunt necessitas, dignitas, utilitas, vocatio & ordinatio: de prioribus omnibus actum est subinde; restat igitur ut de *Ordinatione* quædam dicamus, quam Pontificii unice sibi arrogant, & propterea Ministerium Evangelicum reprobant, quod ab Episcopis suis pastores non sint ordinati, immo Sacramentum fingunt *Ordinem*. Sed *hoc Sacramentum* Ecclesia Christi ignorat inventumque est ab Ecclesia Papæ; non enim solum nullam habet promissionem gratiæ alibi positam, sed ne verbo quidem ejus meminit totum Novum Testamentum. Ridiculum autem est asserere, pro Sacramento Dei, quod à Deo institutum nusquam potest monstrari. Non quod damnandum censeam eum ritum per tanta secula celebratum, sed quod in rebus sacris nolim humana commenta fingi, nec licet astruere aliquod divinitus ordinatum, quod divinitus ordinatum non est, ne ridiculi simus adversario, conandumque sit, ut certa & pura nobis sint omnia, clarisque Scripturis firmata, quæ pro articulis fidei jactamus, id quod in præsentī Sacramento præstare ne tantillum quidem possumus. Nec habet Ecclesia potestatem novas promissiones gratiæ divinas statuere, sicut quidam garriunt, quod non minoris sit autoritatis, quidquid ab Ecclesia quam quod à Deo statuitur, cum regatur Spiritu S. Quod si quam maxime posset, non tamen statim sequeretur, ordinem esse Sacramentum. Quis enim scit, quæ sit Ecclesia habens spiritum, cum in statuendis his soli & pauci Episcopi, aut docti adesse soleant;

leant? quos possibile est non esse de Ecclesia, & omnes errare, sicut sæpius erraverunt *Concilia*, præsertim *Constantiense*, quod omnium impiissime erravit. Id enim solum est fideliter probatum, quod ab universali Ecclesia, non tantum Romana, approbatur. Quare permitto, *ordinem* esse quendam *ritum Ecclesiasticum*, quales multi alii quoque per Ecclesiasticos Patres sunt introducti, ut consecratio vasorum, domorum, vestium, aquæ, salis, candelarum, herbarum, vini & similium, in quibus omnibus nemo ponit Sacramentum esse, nec ulla in eis est promissio; ita ungere manus viri, radi verticem, & id genus alia fieri, non est Sacramentum dari, cum nihil eis promittatur, sed tantum ad officia quædam, ceu vasa & instrumenta, pareantur. - Post multa, ubi iudicium suum tulit de *Dionysio*, qui *Ordinem* etiam in Hierarchia Ecclesiastica ponit, & refutavit extremum roboris Pontificii, quo stabilire volunt Christum ordinasse Sacerdotes, quod in Cœna dixerit: *hoc facite in meam commemorationem*, observat, neminem antiquorum asseruisse his verbis ordinatos esse sacerdotes, sed hac arte quæsitum ab adversariis, ut seminarium discordiæ implacabilis haberetur, quo Clerici & Laici plus discernerebantur, quam cœlum & terra, & periret fraternitas Christiana, cum tamen admittere cogantur, omnes Christianos esse æqualiter sacerdotes, quotquot baptisati sunt, 1. Pet. II. 9. &c. tandem colligit, eum, qui non prædicat verbum, ad hoc ipsum per Ecclesiam vocatum, nequaquam esse sacerdotem, & Sacramentum ordinis aliud esse non posse, quam ritum quendam eligendi concionatores in Ecclesia Mal. II. 7. Sacerdotis munus esse prædicare, quod nisi fecerit, sic est sacerdos, sicut homo pictus est homo. *An*, inquit, *Episcopum faciat*, ordinare tales sacerdotes batralogos? An Ecclesias & campanas consecrare? An pueros confirmare? Non hæc vel Diaconus, vel quilibet Laicus faceret? Ministerium verbi facit sacerdotem & Episcopum.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 296. b. 297. seqq. de capt. Babyl.

R R R

§. XXXIV.

*Pontificii
finem insti-
tuti mini-
sterii igno-
rant, negli-
gunt & con-
temnunt.*

In libro *de instituendis Ministris Ecclesiae* ad Bohemos, prolixè etiam Pontificiam & Evangelicam ordinationem persequitur, unde nonnulla promemus. Rejicit ibi illam ideo, quia de vero ministerio ne somnient quidem *Papistæ* in suis ordinibus, cum tamen ordinatio auctoritate scripturarum, deinde exemplo & decreto Apostolorum in hoc sit instituta, ut ministros verbi in populo instituat, seu ministerium publicum verbi, quo dispensantur mysteria Dei; *Papistæ* autem cœcitate percussi, ne quidem norint, quid sit verbum, aut ministerium verbi, præsertim Episcopi ipsi ordinatorum. *Quomodo ergo, inquit, fieri posset, ut ministros verbi ipsi instituerent suis ordinibus?* pro iis enim ordinant sacrificulos, qui missas sacrificent, & confessiones audiant. Dic, rogo, me crassum fingere aut mentiri, si invenias unum ordinatum istis ordinibus, qui audeat dicere, sibi inter ordinandum esse mandatum, ut mysteria Christi dispenset, & Evangelium doceat, & Ecclesiam Dei regat, quam acquisivit sanguine suo. - Sed ad ministerium verbi alia nova requiritur apud eos vocatio, nempe, vel Parochi, vel Magistratus, tanquam incomparabiliter minor, quam illa sacri ordinis & characteris collatio, ut quæ non pastoribus aut Episcopis, summis illis verticibus, sed plane infimis, vilissimis, pessimis & indoctissimis passim committi debeat, ceu res longe omnium vilissima & facilima, quia mysteria Dei dispensare & animas pascere, officium est, prorsus sine caractere indelebili, nec est Sacramentum ordinis; at Christum consecrare & sacrificare, hoc habet characterem, hoc est vere Sacramentum ordinis. Posthæc rotat ira Dei has ridiculas larvas Episcoporum, ut non solum contemnant ministerium verbi, & loco ejus officium sacrificandi ordinent, sed & Baptismi vivificum, quo viventes homines & rationales animæ sanctificantur in vitam æternam, à se relegent, tanquam officium mitris illis gemma-

gemma-

gemmatis, & pallis aureis, longe indignissimum & alienissimum. Verum hoc pulchre eos decet, ut loco animarum, baptisent lapides, altaria & campanas, mortuas illas & inanimatas res, tam capaces baptismatis, quam ipsi sunt veritatis: tanta furia hæc est & amentia, ut si extra serium spectes Episcopum talia ludentem, præ risu fatiscere pene oporteat: at si spiritu blasphemias consideres, indignatione rumpi queas. Si igitur ulli negandi sunt esse sacerdotes, maxime negandi sunt illi, quos Papistici ordines unxerunt. Nam ex prædictis satis constat, eos hoc plane nullo modo agere, ut ministros verbi ordinent, sed tantum *sacrificos Missarum*, & auditores confitentium. Neque enim aliud agere possunt, quam id quod ex animo intendunt agere, hoc est, non curant, ut docendi officium, sed ut sacrificandi & peccata audiendi potestatem conferant. Quare nec fieri potest, ut aliud obtineant. At cum certissimum sit, Missam non esse sacrificium, deinde confessionem eam, quam præceptam volunt, nullam esse, utrumque autem sit humanum & sacrilegum inventum & mendacium, plane sequitur, per ordines illos sacros neminem fieri coram Deo aut sacerdotem aut ministrum, sed meram larvam quandam mendacii & vanitatis, ut offerant, ubi nullum est sacrificium, & absolvant, ubi nullus debet accusari, velut ille, qui in vacuo theatro ridebat & gestiebat. Hæc omnia pia corda debent movere, ut quidvis aliud patiantur, quam istis ordinibus sacrilegis fœdari. Atque ii, qui hætenus ordinati sunt, doleant sese sic fuisse per mendacii larvas elusos. Nam si unquam consecraverunt, aut officium ministri Ecclesiastici expleverunt, id certe non virtute sacri ordinis sui, qui est merum mendacium & irrisio Dei, fecerunt, sed virtute fidei & spiritus Ecclesiæ, quæ eos in loco ministerii hujus toleravit & admittere coacta fuit; sed nunc, cum res cognita manifestetur, amplius ludendus & irridendus non est Deus, sed fugiendæ sunt larvæ istæ mendaciorum, ceu teterrimæ pestes animarum &

Rrr rr 2

igno-

ignominia turpissima Ecclesiæ Dei. Qui autem per has larvas ad locum ministerii venit, age, ministerium apprehendat, & deinceps pure ac digne administret, sacrificandi officium deferat, docens verbum Dei, ac regens Ecclesiam, cæterum uncturam & totam ordinationem, qua intravit, ex animo damnet ac detestetur. Neque enim necesse est locum quoque ministerii relinquere, licet impiis ac perverfis modis ascenderis, dum animus ipse corrigatur, & modus ipse damnetur.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 5. 8. a. b.

§. XXXV.

*Exemplum
Ordinationis Evan-
gelice in E-
piscopo
Numbur-
genſi, ejusq;
defenſio.*

De Evangelica ordinatione Lutherus egit in scripto Germanico, quo ordinationem *Nicolai Amsdorffii*, Episcopi Numburgensis, à se factam defendit, & in hanc sententiam ad Quæstionem: *an recte factum sit, quod Episcopus Numburg. ab hæreticis exorsus & apostatis Romana Ecclesia ordinari vel manus imponi sibi genſi, ejusq; passus fuerit?* respondet: ego quidem de me ipso nil habeo, quod dicam, aut gloriær. Sum, ut omnes homines, natus in peccato & morte, sub diabolo: vivo etiam ita, ut libenter cuperem melius vivere, nisi quod non amplius sim sub diabolo. Si quid boni in me est, id non meum est, sed Dei & Salvatoris mei Jesu Christi, cujus dona negare nefas duco; nempe quod Scripturam S. modice intelligam, melius tamen rectiusque sciam, quomodo consecrandus sit Episcopus Christianus, quam Papa cum omnibus suis Episcopis, verbi Dei ignaris & hostibus, ut qui neſciant, quid loquantur vel affirmant, Tim. I. 7. quidve agant vel faciant. Quanquam hac de re, ut opinor, non valde solliciti sint futuri, cum propria jura eos doceant, legitime consecratum esse Episcopum etiam à Simoniano ordinatum, &, quod magis est, à turpissimis Pontificibus, ut Bonifacio VIII. Julio II. Clemente VII. imo si diabolus ipse in officio tale quid peregiſſet, id ratum fore. Eo enim recidunt omnia, an Episcopus & Ecclesia consentiant, Ecclesia Episcopum audire & Episcopus Ecclesiam docere